



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Tractatus X. De Præceptis Ecclesiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206



TRACTATUS X. DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

1. **P**ost Præcepta Decalogi, quibus inter alia debita- Ratio ordi-
tam legitimis Superioribus reverentiam, obe- nis.
dientiamque præstare, divinitus edocemur, re-
ceptissima methodo agitur de Præceptis Eccle-
siae; cujus Prælatos Aeterna Veritas adeo ho-
norandos censuit, ut de eisdem in persona suo-
rum Discipulorum, tunc præsentium, pronuntiare dignata fue-
rit, Lucæ c. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et
rursus Match. c. 18. *Si non audierit eos, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam
non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

DISTINCTIO I.

De Primo, & Secundo Præcepto Eccle-
siae; sive, De Festis.

QUÆSTIO I.

Quænam generatim Primo, & Secundo Præcepto Eccle-
siae injungantur?

2. **P**ræcipua Præcepta Ecclesiae, & cuius Christiano scitu, at- Præcepta
que observatu necessaria, communiter quinque nume- Ecclesiae ge-
rantur, non obstante, quod plurima alia Præcepta Eccle- neralia,
siastica, particulares hominum Status concernentia, & in Sacris quinque.
Canonibus expressa reperiantur. Ex illis autem quinque præ- Tenor pri-
cipuis, simulque generalibus Ecclesiae Præceptis, primum com- mi, & se-
munter sequentibus verbis proponitur: *Statutos Ecclesiae dies Fe- cundi.
stos*

fos celebrato: de quo fit mentio frequenter in Jure Canonico, ut c. Nullus. & seqq. 15. q. 4. & can. 1. & seqq. de consec. dist. 3. nec non & toto Tit. de Ferijs. Secundum Præceptum Ecclesiæ, & priori conexum, sequentibus verbis complecti solet: *Sacram Missæ Officium diebus Festis reverenter audito: de quo habetur can. Missas. de consec. dist. 1. Et de his singillatim in progressu.*

Præceptum
de celebra-
tione Festo-
rum, partim
affirmati-
vum, & par-
tim negati-
vum est.

3. CONCL. I. Præceptum Ecclesiasticum de celebratione Festorum, partim est affirmativum, partim negativum. Ita Herincx part. 3. disp. 3. de Festis, n. 8. estque communis. Nam quatenus illud est affirmativum, præcipitur devota Missæ auditio omnibus diebus Festivis: quatenus verò est negativum, præcipitur abtinentia ab operibus servilibus, & nonnullis alijs, de quibus fit sermo cap. 1. de Ferijs, ubi Pontifex omnes dies Dominicos (idem dicendum de Festivis) à vespera in vesperam cum omni veneratione decernit observari, & ab omni illicito opere abstinere: ut in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur, nec sacramenta (nisi pro pace, vel alia necessitate) præstentur. Hæc ibi; etsi postmodum cap. ult. de Ferijs, rectè hoc limitetur, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.

Dies Festi
quando in-
choandi?

4. CONCL. II. Quamvis in Jure Canonico, cit. cap. 1. de Ferijs, dicatur, quòd dies Festi incipere debeant à vesperis præcedentis diei, vel durare usque ad vespèras diei sequentis, idque in Officio Divino, seu recitatione Horarum Canoniarum etiamnum observetur: tamen, quantum attinet ad abstinentiam ab operibus servilibus, alijsque supra enumeratis, rationabili & antiquæ locorum consuetudini standum est. Ita expressè habetur cap. Quoniam. de Ferijs. Idem patet ex cap. ult. de Consuetud. ubi generaliter dicitur, quòd consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta, deroget Juri positivo humano. Hinc ex usu Romanæ Ecclesiæ, qui per totam fermè Europam invaluit, solent incipere Festa à media nocte, & terminari in sequenti media nocte, arg. l. More Romano. ff. de Ferijs; quamvis, si alia alicubi sit consuetudo; ea rectè observetur.

An in ipsis
Fideles præ-
ter Missam,
teneantur
ad alia pia
opera?

5. CONCL. III. Etsi saluberrimum sit, summèque omnibus suadendum, ut Fideles ad majorem dierum Festorum venerationem, debitæque DEO pro innumeris receptis beneficijs grates rependendas, præter devotam auditionem Missæ, alijs quoque pietatis operibus vacent, ac præsertim Concioni attentè intersint; speciali tamen Præcepto Ecclesiastico ad id non obligantur. Ita Mastrius disp. 11. Theol. Moral. num. 81. Azorius part.

part. 1. lib. 7. cap. 3. q. 7. Herincx loc. cit. n. 9. & alij. Nullibi enim tale praecceptum apertè habetur.

6. Nec obitat Concilium Trident. Sess. 24. c. 4. de Reform. ibi: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochia sua interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Nam, quamvis nonnulli Doctores: quos citat Barbosa in *Collectan.* ad cit. c. 4. Concilij Trident. n. 15. inde inferant, atque ex ly, teneri unumquemque, deducant ejusmodi obligationem interessendi Concioni Parochiali; tamen Concilium non loquitur de rigorosa obligatione juris positivi. Et hoc desumitur tum ex ly, *Moneat Episcopus*, quod patet non involvere praecceptum: tum ex addita clausula, *Ubi commode id fieri potest*: tum ex communi sensu Fidelium, qui à tempore citati Concilij Tridentini tam gravem obligationem in dictis verbis non agnoverunt.

Praefertim ad audiendam Concionem?

7. Nec dictis obitant illa verba, *Unumquemque teneri.* Nam imprimis haec verba, etiam in toto rigore accepta, non loquuntur de obligatione absoluta, sed solum supposità commoditate. Deinde ea commodè intelliguntur de obligatione audiendi verbum Dei, non quæ procedit ex jure aliquo Ecclesiastico, sed quæ procedere solet ex lege Charitatis, qua quisque tenetur habere curam animæ suæ, sibi que providere de scientia necessaria ad salutem, & observantiam mandatorum Dei; atque adhibere non solum media simpliciter necessaria ad salutem, sed etiam utilia, inter quæ connumeratur devota Concionum auditio. Et merito monendi sunt Fideles ad accedendam propriam Parochiam, utpote in qua denuntiari solent dies Festi. atque occurrentia jejunia, & alia de praeccepto observanda; quamvis cæteroquin sufficiat, Concionem extra Parochiam suam audire. Barbosa loc. cit. post Suarez, Herincx, & alij.

Solvitur instantia.

8. CONCL. IV. Esse potestatem in Ecclesia instituendi Festa de praeccepto, de fide est: atque patet ex perpetua traditione, & usu Ecclesiae, à temporibus Apostolorum usque nunc continuato. Quinimò etiam Episcopi respectu suarum Dioecesium cum consensu Cleri, & saltem tacito Populi, possunt instituere quædam Festa; prout habetur cap. ult. de Ferijs, & alibi.

Fideles monendi, ut accedant propriam Parochiam.

Datur in Ecclesia potestas instituendi Festa.

9. CONCL. V. Dies festi ab Episcopis in sua Dioecesi praeccepti, servari debent ab omnibus, etiam exemptis, ac Regularibus. Ita expressè statuitur in Concilio Trident. Sess. 25. cap. 12. de Regularibus, ibi: *Dies etiam Festi, quos in Dioecesi sua servandos*

Festa ab Episcopis praeccepta, etiam à Regularibus servanda.

idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, servantur.

QUÆSTIO II.

Quæ opera diebus Festis prohibita sint ?

Opera corporis & animæ, seu

ADvertendum, Opera nostra alia esse corporis, seu corporalia, quæ nimirum per corporis exercitationem peraguntur: alia esse Opera animæ, qualia sunt legere, scribere, docere, disputare, concionari, consulere, & similia; quæ idcirco Opera animæ dicuntur, quia ab anima præcipue procedunt, & ad animum excolendum spectant: atque alio nomine Opera liberalia vocantur.

Corporalia & liberalia quæ ?

Opera corporalia servilia, seu

11. Rursum Opera corporalia alia ex genere suo sunt servilia, alia non item. Opera servilia dicuntur, quæ ex se habent quemdam famularum, & solum ab ijs communiter exercentur, qui alijs inserviunt: ut opus arandi, fabricandi, seminandi, suendi, & alia hujusmodi Opera mæchanica, quæ servis propriè conveniunt, etiam si per liberos nonnunquam exercentur. Et hæc appellantur etiam *mæchanica*, eo quod per Artes mæchanicas dirigantur: atque distinguuntur ab Operibus liberalibus, quod hæc non habeant effectum materialem, vel corporeum; aut si habent, is principaliter ordinatur ad animum excitandum, vel instruendum: econtra verò Opera mæchanica post se relinquunt effectus corporeos, atque in commodum corporis proximè tendentes. Opera ex genere suo non servilia vicissim dicuntur illa, quæ propriè non conveniunt servis, sed omnibus communia sunt, tam dominis, quam servis: ut iter facere, saltare, digladiari, & hujusmodi.

Mæchanica, &

Opera non servilia, quæ ?

Diebus Festis non prohibentur opera animæ, nec pietatis aut necessitatis.

12. CONCL. I. Diebus Dominicis, Festivisque, non sunt prohibita opera animæ, neque opera pietatis aut necessitatis. Ita communis; & patet ex cap. 1. & ult. de Ferijs, num. 3. allegatis. Adde cum Navarro cap. 13. Manual. n. 5. & alijs, quidquid nonnulli contradicant, hujusmodi opera, quæ diebus Festis fieri conceduntur, non solum gratis, sed etiam ob pecuniam, atque animo recipiendi mercedem, licitè peragi posse: siquidem intentio, atque propositum lucrandi, non facit opus servile, aut illicitum, quod ex se non est tale.

Opera non servilia quæ

13. CONCL. II. Opera non servilia quædam diebus Dominicis ac Festivis sunt concessa, quædam non. Patet hoc ex cit. cap.

cap. 1. de Ferijs; ubi dictis diebus prohibetur fieri *Mercatum*, sive prohibean-
mercatura: item *Placitum*, cujus nomine venit quaelibet lis, jur-
tum, seu causa Forensis, quæ in iudicio agitur: item & *Præ-*
statio sacramenti, hoc est, iuramenti judicialis; adeoque neque te-
stes tunc recipere, aut examinare licet, utpote qui prius jurare de-
bent, nisi suadente pietate, aut urgente necessitate (a) non ob- (a) De hoc
stante, quòd talia neququam sint opera servilia, quinimò à domi- *Quaest. seq.*
nis communiter præstentur. Porro reliqua opera non servilia, n. 27. &
demptis enumeratis, non sunt illicita diebus Fests. *seqq.*

14. CONCL. III. Opera servilia diebus Dominicis, Festivif-
que, sunt prohibita: unde qui talia dictis diebus per notabilem *Opera servi-*
partem (de qua n. 25.) sine iusta causa excusante exercet, peccat *lia Fests*
mortaliter. Ita communis; & patet ex cit. cap. 1. de Ferijs, atque *diebus pro-*
receptâ consuetudine Ecclesiæ, & communi sensu Fidelium. Con- *hibita.*
cordat illud Levitici cap. 23. *Omne opus servile non facietis in eo*: nam
hoc præceptum, utpote iudiciale, ac ex parte morale, Ecclesia
innovavit.

15. Rectè tamen notant Doctores cum D. Thoma 2. 2. q. Dies Festi
122. art. 4. quòd dies Festi Christianorum, utpote post cessatio-
nem Legalium veteris Legis Jure duntaxat Ecclesiastico introdu-
cti, non ita strictè obligent, sicut olim obligabat præceptum Di-
vinum de observando Sabbato. Unde multa nobis per mittun-
tur diebus Dominicis, Festivifq; , ut ignem succendere, cibos co- *strictè obli-*
quere, iter facere, & huiusmodi, quæ in Sabbatis antiquæ Legis *gant, ut*
non licebant, *Exodi cap. 35. & cap. 16. & alibi.* Simulque circa prohi- *olim ludæo;*
bita in nostris Festivitatibus, facilius est dispensatio, quàm olim *ram.*
in Sabbato. Navarrus cap. 13. Man. num. 2. Azorius, & alij. Ve-
rùm occasione præmissorum occurrunt plura dubia. Hinc

16. Quæritur I. An venari, & piscari, sit opus servile, ac
prohibitum in die Festo? Resp. Venari, & piscari, ex se, ac nisi
addantur opera servilia, non censentur prohibita, si fiant dunta-
xat recreationis gratiâ; cum non sint servilia, sed potiùs libera-
lia, & communia servis & dominis. Bonacina tom. 2. disp. 5. q. un.
punct. 2. num. 23. Azorius, & alij. Dicitur notanter, *nisi addantur*
opera servilia: nam fatendum, quòd venatio & piscatio non li-
ceat, quando est conjuncta cum alijs operibus servilibus; prout
accidere solet in venationibus clamorosis cum canibus, & appa-
ratu institutis, nec non & in operosis multique laboris, & pi-
scatoriæ Tribui quasi proprijs piscationibus: quales proinde in
Jure, c. *Licet, de Ferijs*, duntaxat conceduntur tempore necessi-
tatis,

tatis, seu propter occursum lucri transeuntis; eò quòd tales pisces raro, & certis duntaxat temporibus apparere soleant, ut Halecia, & hujusmodi.

An tunc liceat scribere, etiam ob lucrum?

17. Quæritur II. An scribere, si fiat ob lucrum, sit opus servile, & consequenter die Festo prohibitum? Resp. Cùm scribere sit opus mentis, & locutio quædam permanens, ordinata ad instructionem mentis propriæ, vel alienæ; idcirco ex se censetur opus liberale, nec sit servile ob id, quòd fiat ob lucrum. Ita Navarrus *loc. cit. num. 5.* & alij. Ratio est: quia Ecclesia non prohibuit operari in die Festo propter mercedem, nisi in quantum prohibuit totum opus; ergo, cùm scribere die Festo non prohibetur, neque prohibitum est scribere propter mercedem. Idem juxta probabiliorem sententiam est dicendum de transcriptione, quæ à Notarijs & Scribis fit ex officio, & pactâ mercede: siquidem transcribere non est aliud, quàm scribere; ergo si hoc de se est licitum die Festo, erit & illud.

Pingere, an licitum?

18. Quæritur III. Utrum pingere diebus Festis sit prohibitum? Resp. Hic varias esse Doctorum sententias, quæ sequenti modo videntur posse concordari. Et quidem plerique faciunt, non esse illicitum, pingere ob solam voluptatem, aut recreationis gratiâ quasdam delineationes facere: quod ipsum videtur suadere communis sensus hominum. Deinde Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 3.* post Medinam, & Lopez, probabile censet, quòd pingere in aliqua tabella, sine apparatu & magno labore, opus servile non sit, ideòque nec prohibitum die Festo per se loquendo: quia talis pictio, perinde ac scriptio, consistit in ducendis lineis, ac figuris; & consequenter idem dicendum de tali pictione sine apparatu, simulque secluso scandalo factâ, quod de scriptione. Tandem extra præfatas limitationes die festo pingere, communis sententia Doctorum negat esse licitum: quia (inquiunt) pingere, per se loquendo, est opus servile, cùm soleat fieri ab ijs, qui alijs inserviunt, ut argumentatur Bonacina *loc. cit. n. 25.* citans alios: simulque est mechanicum, cùm respiciat opus sensibile & externum artefactum, principaliter non ordinatum ad instruendum animum; licet pictores contendant, suam artem esse unam ex liberalibus. Maltrius *disp. 11. n. 24.* Herincx, & alij.

Quid dicendum de Typographis?

19. Quæritur IV. Quid dicendum de Typographis? Resp. I. Certum est, quòd actualis impressio foliorum sit opus servile, ac proinde prohibitum. Num autem artificiosa illa ordinatio, seu

feu compositio characterum, sit opus servile, nec ne, major est difficultas, eo quod ipsa videatur æquipollere scriptioni. Nihilominus Herincx *disp. 3. de Festis, quest. 2. n. 15.* & Bassæus *ŷ. Festum. II. n. 3.* citans communem, contra Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 62.* & Layman, etiam compositionem characterum inter opera servilia, & mæchanica connumerat: cum per se non ordinetur ad locutionem, & expressionem mentis, sicuti transcriptio, sed sit præparatio materiae, & fabricatio instrumenti mæchanici ad opus mæchanicum, scilicet ad ipsam impressionem. Verum Typographi ordinantes characteres in ea persuasione sunt, quod post rem Divinam licite compensare possint ea, quæ præcedentibus diebus neglexerunt, ut inquit Layman *loc. cit.*

20. *Quæritur V. An itineratio sit opus servile? Resp.* Itineratio cum communi, itinerationem non esse opus servile, nec per se an licita die Festo? prohibitam diebus Festis: quia potius censetur esse opus naturale, ordinatum ad corporis conservationem, & ad negotia ubique exercenda. Verum hoc intelligendum est nisi itinerationi addantur circumstantiæ annexæ operibus servilibus: ut si magno cum labore imponenda sint jumentis vel curribus onera, quæ ducantur; vel si animalia onusta, aut currus onusti, de uno loco ad alium deferantur. Hinc cit. Layman. *n. 5.* cum alijs infert, quod tale iter die Festo inchoare concessum non sit, quamvis inchoatum continuare liceat, si commodè abrumpi non possit.

21. *Quæritur VI. Quinam actus judicij Forensis diebus Festis ab Ecclesia prohibeantur, extra casum necessitatis & pietatis, per textus n. 3. relatos, cum concordantijs? Resp.* In primis hæc prohibitio generatim procedit de omnibus causis, seu litibus cum criminalibus, tum civilibus, utpote quæ omnes fieri solent cum strepitu Forensi, seu Judiciali processu. Deinde eadem prohibitio intelligenda est de omnibus partibus judicij, quæ ad tres revocantur. Prima, est inchoatio causæ per Rejectionem; quippe quæ est basis, & fundamentum judicij. Secunda, est processus; & fit per causæ cognitionem, examinationis & juratis testibus, exhibitisque instrumentis. Tertia, est per sententiæ prolationem, ejusque executionem. Et omnes tales actiones (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) non solum diebus Festis prohibita sunt, sed etiam ipso jure nullæ, & irritæ; adeo quidem, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus

teneat, nec sententia, quam contingit huiusmodi diebus promulgari; prout habetur c. ult. de Feriis.

Quomodo
liceant ob
necessita-
tem, vel pie-
tatem?

22. Additur verò, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat: nam tunc secus est dicendum. Et quidem satis magnæ necessitatis ratio est, si alio tempore testes vocari, aut Judex adiri non possit, saltem sine jactura diurnæ mercedis, quia pauperes maximè solent indigere, ut notant Tannerus tom. 3. disp. 5. n. 9. Navarrus cap. 13. Man. n. 13. & alij. Quas ob causas excusantur in aliquibus locis Judices rusticorum, diebus Festis jus dicentes, aut sententiam promulgantes, quando alijs diebus rustici homines adesse, vel commodè absque jactura mercedis diurnæ vocari nequeunt: quod ipsum consuetudo aliquarum Regionum comprobat. Idem dicendum de causis, quæ celeritatem requirunt, eò quòd alioquin res peritura sit: vel si latro de fuga suspectus, die festo possit capi, & incarcerari.

Quæ lice-
ant Advoca-
to, vel
Doctori,
diebus Fe-
stis?

23. Non tamen idcirco prohibetur, quin Advocatus possit die festo dare operam studijs causâ litium, scribere quibus studuit, informare Judicem scripto, agere privatim de lite cum Procuratore, & referre causam apud Judicem, ut eâ cognitâ commodius ferat sententiam. Similiter licitum est Doctori, conficere consilia diebus Festis; & Civibus ad concilia convenire, & eligere ad officia. Insuper possunt die festo conficere testamenta, scripturæ, donationes, renuntiationes, & huiusmodi. Ratio horum omnium est: quia talia sunt opera animæ, & non sunt opera servilia, neque comprehenduntur in processu Judiciario.

Opera ser-
vilia per
notabilem
diei Festi
partem ex-
ercere, est
mortale
peccatum.

24. CONCL. IV. Opera servilia, vel alia prohibita, diebus Dominicis, aut Festivis, per notabilem diei partem exercere absque legitima causa excusante, est peccatum mortale. Ita communis: quia violaretur Præceptum Ecclesiasticum in materia gravi, pertinente ad virtutem Religionis. Unde meritò Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 52. propositionem damnavit: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Quænam
censeatur
pars nota-
bilis?

25. Verum, quantum temporis requiratur, ut quis censeatur notabili parte diei laborare, sicque peccare mortaliter, non conveniunt Doctores, prout videre est apud Filliucium tract. 27. cap. 11. & alios. Nam aliqui unam integram horam censent esse partem notabilem, sicque materiam peccati mortalis: alij econtrà tres horas requirunt, quas ex viginti quatuor horis diei censent partem notabilem. Communior tamen, cæterisque
pro:

probabilior sententia, est media, quæ laborem servilem duarum horarum plùs minùs requirit, & sufficere ait ad notabilem diei partem. atque peccatum mortale constituendum.

26. Rehtë tamen monet citatus Filiucius, considerandam simul esse qualitatem operis atque laboris, & an nulla concurrat necessitas. Nam si labor sit levior, aut aliqua necessitas concurrat, facile etiam quis diutiùs laborans excusabitur à culpa mortali: quod proinde prudentis viri iudicio demetiendum erit. Hinc non facile pauperes faminx, vel ancillæ, peccati mortalis damnandæ sunt, quæ diebus Festivis aliquot horas infumunt nendo, vel vestes suas aut suarum prolium refarciendo, sive ad fugandum otium atque inutilia colloquia, sive ob paupertatem, & quia diebus ferialibus destituuntur tempore ad talia peragenda opportuno.

Quæ alia
circa hoc
confide-
randa?

QUÆSTIO III.

Quæ causæ excusent exercentes Opera prohibita diebus Festis?

27. **C**ONCL. I. Etsi plures causæ referri soleant, quæ excusare possunt exercentes opera prohibita diebus Festis, ex tamen commodè reducuntur ad necessitatem, & pietatem. Ita desumitur ex cap. ult. de Feriis, ubi prohibentur diebus Festis opera illicita, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat. Siquidem necessitas non habet legem, c. Quod non est. de Reg. Juris, ibi: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Pietas etiam excusat exercentes erga pauperes, vel miserabiles personas, opera Misericordiæ; vel præstantes ea, quæ ad Divinum cultum pertinent: nam summam esse rationem, quæ pro Religione facit, textus est l. Sunt personæ. ff. de Religiosis & sumpt. funer. Hinc versus illi:

Quæ gene-
rarim causæ
excusent
exercentes
opera pro-
hibita?

*Non Recto servat legalia Sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.*

28. **C**ONCL. II. Tunc censetur adesse necessitas exercendi opera cæteroquin die Festo prohibita, quando imminet notabile damnum animi, aut corporis, sive proprii, sive alieni, aut bonorum temporalium sive priorum, sive alienorum. Ita Reginaldus lib. 19. num. 50. Navarrus, aliique; quamvis, utrum hic & nunc ejusmodi notabile damnum sit metuendum,
Pru-

Necessitas
quando sic
excuset?

prudētis viri arbitrio dijudicandum sit. Res exemplis fiet clarior.

Corollarium
circa bonum
vitæ.

(b) *Prædicti*
Tract.
2. dist. 2.

n. 25. & seq.
Aliud circa
bona fortunæ.

Sartores
quādo excu-
santur
perficientes
die festo
vestes?

Quid de
præparatio-
ne panni?

Alia corol-
laria.

Molere die
Festo, an
liceat?

29. Sic imprimis laborantes die Festo excusat necessitas imminens propriæ conservationis, vel sustentationis suæ vitæ, aut familiæ: quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto gravamine Fidelium. (b) Hac ratione excusantur pauperes, qui nisi die Festo laborent, nequeunt se sustentare, & hujusmodi.

30. Deinde necessitas, seu imminens notabile damnum in bonis fortunæ, excusat coquentes calcem, aut vitrum die Festo: quia hoc genus operis inchoatum non potest intermitteri absque notabili damno. Similiter excusantur agricolæ tempore messis laborantes, ne segetes amittant ob pluviam: in quo tamen casu, ad cavendum scandalum, consultus est, adhibere consilium Parochi, ac petere dispensationem vel licentiam.

31. Ob eandem rationem excusantur in multis casibus sartores, perficientes vestes die Festo: utputa si illæ debeant inseruire pro ejusmodi Festo; vel si sint vestes sponsi seu sponsæ, proximè nuptias celebrantium; aut vestes lugubres, vel eorum, qui ijs indigent ad servandam decentiam status. Idem censet Bassæus *de Festum III. n. 1.* si sartores timeant aliquod notabile incommodum, vel acerbas reprehensiones, ac injurias ex eo, quod non perfecerint vestes ante Festum. Præparatio autem vestium, quæ fit per scissuram & præparationem panni die Festivo, ex eo excusari potest, quia non est labor servilis: cum propriè competat Magistris, nec habeat adjunctum magnum laborem.

32. Huc accedit necessitas Reipublicæ, utpote cui magis subveniendum est, quàm privatæ. Sic excusantur milites jacientes aggeres die Festo, vel alia servilia opera peragentes pro defensione patriæ. Item necessitas Proximi, nam ob hanc licitum est die Festivo laborare ad extinguendum incendium in domo Proximi, & Chirurgo ad sublevandum infirmum, & hujusmodi.

33. Quæres, an liceat die Festo molere triticum, quando molendinum agitatur aquâ, vel vento? Respondet Bassæus *loc. cit.* affirmativè, atque pro hac sententia allegat Bonacinam, Rodriquez, & alios: quia (inquit) tunc aut nullus, aut exiguus labor intervenit. Verùm seclusâ necessitate, aut speciali alicujus loci consuetudine, hoc passim admittendum non est: idque tum ratione scandali vitandi, tum quia in molendinis non modicus

dicus simul labor servilis intervenit. Unde Bonacina tom. 2. disp. 5. quaest. un. punct. 3. num. 9. ait, si tales molitores notabilem temporis partem in his insument, eos non excusari; nisi id faciant ex necessitate, v. g. ob multitudinem concurrentium ad molen- dinum, quibus satisfacere nequeunt diebus feriatis.

34. Insuper causis, excusantibus exercentes opera prohibi- ta die Festo, communiter addunt Doctores occursum lucri trans- euntis, an excuset? id est, illius, quod amplius acquiri non poterit, nisi die- bus Festivis talia opera fiant. Et hoc probatur ex Jure Canoni- co, cap. Licet. de Ferijs, ubi Ecclesia, tanquam pia Mater, ex hac ratione diebus Festivis (praeterquam in majoribus anni Solemni- tatibus) indulget piscationem halécum, quae certo duntaxat ani- ni tempore transire solent. Unde ob paritatem rationis idem de piscatione aliorum piscium, certo tantum anni tempore oc- currentium, & de alijs hujusmodi rebus temporalibus, quae cum tempore pereunt, nisi Festivis diebus acquirantur, passim tradunt Doctores.

35. Tandem similia opera diebus Festivis praestari solita ex- cusat legitima consuetudo, sive generalis, sive specialis quorun- dam locorum, quae scitur, & toleratur à Prælati Ecclesiasticis. Ratio est: quia prohibitio talium operum die Festo fuit introdu- cta solo Jure Ecclesiastico; ergo nihil obstat, eam tolli rationabi- li & legitime praescripta consuetudine contraria: cum generali- ter hujusmodi consuetudo deroget Juri positivo humano, cap. ult. de Consuetud. Sic in pluribus locis Pistores consueverunt pinse- re panem, & Cerevisiarj incipere praxaturam cerevisiae à vespe- ris diei Festi: Mercatores etiam in Nundinis solent per aliquam diei partem exercere publicum mercatum.

Q U A E S T I O I V.

Quae sit obligatio audiendi Missam diebus Fests?

36. **C**ONCL. I. Extat grave Praeceptum Ecclesiasticum, re- verenter audiendi Missam diebus Dominicis, Festivif. que. Patet hoc ex can. Missas. de consec. dist. 1. Et licet ibidem soli Saeculares nominentur, tamen ex communi consue- tudine, quae est optima legum interpres, sub dicto Praecepto etiam comprehenduntur Clerici, & Sacerdotes non celebrantes: quam- vis hi, si dictis diebus celebrent, hoc ipso & quidem eminenter, Missam audire censeantur. Id ipsum liquet ex can. Omnes fideles. de consec. dist. 1.

Extat Prae- ceptum de Missa reve- renter au- dienda die- bus Festivis.

M m m m

37. CON-

Peccat mor-
tali-
ter ne-
gligens no-
tabilem ejus
partem; &
quæ sit salis?

37. CONCL. II. Peccat mortaliter, qui notabilem Missæ partem dictis diebus culpabiliter audire prætermittit. Ita omnes Catholici, & patet ex proximè dictis. Et quidem notabilis pars, est dimidia vel tertia pars, secundum omnes Doctores: aut totum Missæ principium unà cum Epistola, & Evangelio, ut plures volunt; non autem, si ab initio Evangelij usque ad finem quis Missam audiat, etiam si reliquum, nempe initium Missæ cum Epistola prætermiserit. Addunt multi Doctores, ut Layman lib. 4. tract. 7. cap. 3. n. 3. Gobat. tract. 5. Theolog. Experim. n. 135. Suarez, Rodriguez, Azorius, & quidam alij, etiam ab eo evadit peccatum mortale, qui venit primum post Evangelium, modo permaneat usque ad finem ultimi Evangelij inclusivè: quia audiendo ultimum Evangelium, videtur compensare primum Evangelium neglectum.

Audire Mis-
sam, in quo
consistat?

38. CONCL. III. Audire Missam, non est verba Missæ intelligere, utpote quod plebei non possunt; nec audire Sacrifican- tem, quod surdi nequeunt; neque videre eundem, quod cæci frustra desiderant: sed Missam devotè audire, est esse præsentem Missæ, & vacare Deo; sive, corpore adesse, & mente attendere ad Sacrificium. Ita communis.

Explicatur
hoc amplius.

39. Unde ad auditionem Missæ requiritur simul & devota, & corporalis præsentia. Porrò devotio ista ad Missæ auditionem requisita, explicanda est conformiter necessariæ intentioni, & attentioni, ad recitationem Horarum Canonicarum requisitæ, de qua alibi. (c) Corporalis præsentia consistit in hoc, quòd quis suo corpore præsens sit in eo loco, in quo fit Sacrum; idque vel physicè, ut si intra Capellam vel Ecclesiam, ubi Missa celebratur, præsens adsit; vel saltem moraliter, prout illi Missam audire censentur, qui animo Missam audiendi stant, aut flectunt ante januam illius Ecclesiæ, quam præ hominum multitudine ingredi non valent, vel qui introspiciunt per fenestram.

(c) Tract. 6.
Dist. 1. q. 4.

An satisfa-
ciat, qui si-
mul duas
Missæ par-
tes audie
plurim Ce-
lebrantium?

40. Quæres, an satisfaciat Præcepto Ecclesiæ, qui audit partem posteriorem unius Missæ, v. g. ab Elevatione ad finem, & deinde priorem alterius Missæ usque ad Elevationem, vel econtrà; aut si quis à duobus Celebrantibus, quorum unus Missam incipit, alter ab Elevatione pergit, simul audiat utramque? Resp. I. Si quis non successivè, sed simul audiat duas tales partes Missæ à duobus Sacerdotibus simul celebrantibus, talis non satisfacit Præcepto. Ita defactò indubitatè tenendum est, & quòd ad hoc punctum nonnulli libri cautè legendi. Siquidem Inno- centius

centius XI. hanc inter alias Propositionem, ordine 53. damnavit, & doceri, atque praticari prohibuit: Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

41. Resp. II. Nihilominus multi Doctores probabile censent, mortaliter non delinqui ab eo, qui successivè audit duas medietates Missae à diversis Sacerdotibus dictas; quamvis veniale peccatum, & in suo genere grave, committatur per hoc, nisi quis legitimè impeditus fuerit, quò minùs integram ejusdem Sacerdotis Missam audiret. Ita Layman lib. 4. tract. 7. cap. 3. n. 4. Gobat loc. cit. n. 143. Navarrus, & nonnulli alij, quos citant, contra non paucos oppositum tenentes. Ratio esse potest: quia parùm refert, quid de æquipollentibus fiat; simulque ordo partium inter se non videtur pertinere ad substantiam praecepti: sic enim in simili satisfacit praecepto Ecclesiae Clericus, qui priùs recitat Laudes, quàm Matutinum. Hæc sententia necdum est condemnata: unde etiam Jo. Cardenas in Crisi Theolog. ad Propositionem 53. Innocentij XI. cap. 7. eam censet probabilem, dummodò imposterum per Sedem Apostolicam oppositum non declaretur.

Vel saltem successivè?

42. CONCL. IV. Auditio Missae per se loquendo præferenda est sacrae Concioni, si utraque audiri non possit. Ita communis: nam audire Missam diebus Dominicis, Festivisque, est de praecepto, non item audire Concionem, per se & ordinariè loquendo: atqui opus consilij non est præferendum operi debito ex praecepto. Dicitur, per se loquendo: nam per accidens, & in casu extraordinario, fieri potest, ut Concio præferatur audicioni Missae; si nimirum urgeat necessitas addiscendi necessaria Fidei, hæcque commodè nequeant aliàs addisci; vel si exemplum unius necessarium sit ad inducendos cæteros pro audienda Concione &c. Bonacina disput. 5. de Prac. Decal. quaest. 2. punct. 2. n. 28. & alij.

Auditio Missae num præferenda Concioni?

43. Possset hoc loco Quæstio moveri de peregrinis & adventantibus, an teneantur ad Festa particularia locorum, per quæ transeunt, ibique abstinere à servilibus, & Missam audire: item an quis de loco, ubi est Festum, possit omisâ etiam Missâ ad laborandum exire in alium locum propinquum, ubi id non celebratur. Verùm de hoc, atque attinentibus materijs, ex professio jam dictum est Tract. 2. Dist. 3. Quæst. 3 & 4. Ibi videatur.

Alia Quæstio, remissivè,

Mmm 2

QUÆ-



Q U Æ S T I O V.

Quæ causæ excusent à Præcepto audiendi Missam?

Generatim
Missæ audi-
enda excu-
sat impotē-
tia physica,
& moralis.
(d) Tract.
2. Dist. 2.
n. 25. &
seqq.

44. **C**ONCL. I. Quamvis plures communiter assignari solent causæ, ob quas quis excusari possit ab obligatione audiendi Missam die Festo; eæ tamen commodè reducuntur ad impotentiam, cum physicam, tum moralem. Hæc Conclusio supponit ex dictis (d) alibi, quod leges Ecclesiasticæ in casu impotentia non obligent; idque, quantum ad propositum, clarius habetur cap. ult. de Ferijs, ibi: *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.* Quo supposito,

Impotentia
physica de-
claratur.

45. Probatum Conclusio inductione. Et quidem ob impotentiam physicam (quæ est impotentia simpliciter) excusantur, qui detinentur in carceribus, in quibus Missa non celebratur. Item, qui tam gravi morbo decumbunt, ut Missæ interesse non possint. Similiter, qui longum iter faciunt non inveniētes locum, ubi Missam audiant: ut fit in terris infidelium, & in mari. Et idem de alijs similibus.

Impotentia
moralis cō-
tingit varijs
modis.

46. Deinde ob impotentiam moralem, plures adhuc excusari possunt. Nam impotentia moralis censetur tunc contingere, cum nequit audiri Missa absque iactura boni notabilis æstimationis, aut non nisi cum magna difficultate, vel labore: quæ postea in casibus particularibus arbitrio viri prudentis dijudicanda erunt. Quia igitur generatim sunt quatuor bonorum genera, scilicet bona animæ, corporis, famæ seu honoris, atque fortunæ: hinc circa ea omnia hujusmodi impotentia moralis accidere potest.

I. Ob peri-
culum boni
animæ.

47. Hinc imprimis ob impotentiam moralem circa bonum animæ occurrentem, excusatur quis ab audienda Missa, si nequit adire templum sine periculo labendi in peccatum: ut si quis tempore persecutionis timeat periculum abnegandæ Fidei, si à persecutoribus comprehendatur; aut si virgo prævideat periculum stupri in via sibi inferendi, & hujusmodi.

II. Ob peri-
culum cor-
poris.

48. Deinde propter periculum imminens corpori excusatur quis, si ex probabili conjectura, & non solâ vanâ imaginatione ductus timeat, ne in via aut in ipso Templo vitam amittat, utputà ob sicarios, ob aëris intemperiem, vel infectionem, &c. Item si timeat iacturam sanitatis, aut reincidentiam in morbum; vel adsit periculum notabiliter retardandi convalescentiam, si
ipse

ipse Sacrum audiat in Templo: uti quandoque contingit laborantibus febri, & alijs hujusmodi morbis, in quibus standum est iudicio viri prudentis, ac præsertim Medici.

49. Quæres, an distantia loci excuset ab auditione Missæ? Distantia loci, an etiam excuset?
Resp. Quandoquidem distantia loci ad Templum non modicam sæpè causet corporalem incommoditatem senibus, claudis, labore pridiano valdè fessis &c. proinde ex hoc capite tales nonnunquam contingit excusari, præsertim accedente tempestate nivali, aut nimbosâ. Ita communis.

50. Etsi verò non possit absolute determinari certa distantia, quæ sit necessaria, simulque sufficiens, pro omnibus & singulis hominibus excusandis; quandoquidem homines sint adeò diversæ complexionis, & alibi robusti, alij imbecilliores, aliqui etiam divites, qui curriculo ad Ecclesiam vehi possunt, simulque tempestatis nimbosæ atque hyemalis habenda sit ratio, &c. Nihilominus loquendo de hominibus mediocriter valentibus, & peculiarem excusationem non habentibus, quidam Doctores apud Gobat *Tract. 5. Theol. Experim. num. 486.* sufficere asserunt pro excusatione peditis distantiam unius horæ, vel quinque horæ quadrantes: alij verò majorem exigunt distantiam, vel spectandam loci consuetudinem ajunt, aut hoc absolute iudicio prudentum relinquunt expensis circumstantijs discernendum. Certè plerique sibi ducerent religioni, si cessante aliâ causâ omitterent Missæ auditionem ob distantiam unius horæ; & punirentur illi, qui deprehenderentur ferè semper à re Divina abesse solùm, quia distant sesqui hora à Templo. Quamquàm nullus prudens Confessarius movebit his scrupulum, etsi iteratò tales maneant domi; cum variæ aliæ circumstantiæ non rarò concurrant iter tam longum aggravantes, ut meritò detur locus excusationi.

51. Rursus propter periculum famæ, & honoris, quidam III. Ob periculum famæ, & honoris. excusari possunt. Sic communiter Doctores excusant illum, qui non habet vestem decentem, ita ut nequeat sine dedecore, aut gravi derisione, seu notabili pudore, comparere in publico. Similiter excusant puellam cæteroquin honestam, quæ putatur casta, & tamen gestat uterum, ne videlicet publicè confundatur; & hujusmodi. Si tamen tales possint primæ Missæ in tenebris sine probro interesse, obligantur ad eam audiendam, nisi aliud excuset.

IV. Ob peri-
culum bo-
norum for-
tunæ,

52. Tandem ob periculum bonorum fortunæ excusantur ij, quibus imminet damnum infortunis, si pro Missâ audienda velint ire ad Ecclesiam: quod intelligit Gobat *loc. cit. num. 491.* non tantum de damno notabili, sed etiam de metu mali mediocris bonorum. Sic famuli excusantur, qui domi remanent ad ejus custodiam, vel ob furtum aut incendium avertendum, &c.

Excusantur
aliqui ex
Titulo pie-
tatis,

53. His omnibus accedit titulus pietatis officij seu obedientiæ; quamvis & hæc ad impotentiam moralem reduci possint. Sic ex titulo pietatis, seu Charitatis Proximi, excusatur ab audienda Missâ, qui inservit ægro, cui præsentia inservientis est necessaria, ita ut ab ipso recedere non possit: nam majus est vinculum præcepti Charitatis Proximi, quam præceptum Missæ audiendæ; cum illud Jure naturæ, hoc autem Jure duntaxat positivo Ecclesiastico obliget. Idem in similibus casibus dicendum de matre, vel nutrice, quæ infantes deserere non possunt, dum non habent alium eisdem assistentem.

Et officij.

54. Ex titulo officij excusantur excubitores ad portas, val-
la, turres; itémque custodes pecorum, & hujusmodi. Qui tamen tenentur mutare vices, quando sunt plures, & potest à paucioribus custodia convenienter peragi, fiuntque successivè plura Sacra. Et hæc tenus dicta ad alios consimiles casus sunt extendenda, atque juxta exigentiam rerum applicanda.

An impediti
audire Mis-
sam, tene-
antur domi
orare?

55. Porro in casu, quo quis habet impedimentum legiti-
mum non audiendi Missam die Festo, consilium omninò salutare est, domi per aliquod tempus vacare orationi; id tamen non esse in præcepto, docent Navarrus *cap. 21. Manual. num. 7.* Reginaldus *lib. 19. num. 19.* Herincx *part. 4. disp. 8. de Sacrificio Missæ, num. 223. & 224.* solvens contraria, & alij: cum talis oratio domi peragenda, minimè comprehendatur sub nomine Missæ; si-
mulque finis præcepti non cadat sub præcepto. Nihilominus

(e) Ut di-
stum Tract.

4. Dist. 2. hominibus consulenda est, ut cum Jure naturali teneamur De-
um quibusdam cum virtutum Theologicarum, tum Religionis
5. n. 9. & actibus quandoque per vitæ decursum revereri, (e) huic obli-
6. n. 9. & gationi eò melius satisfiat. In quem proinde finem D. Augu-
7. n. 9. & stinus *Serm. 251. de Temp.* optimè loquitur, atque eum, qui non
8. n. 9. & potest cum cæteris Sacro interesse, exhortatur, *ut saltem in do-*
9. n. 9. & *Tract. 5. mo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servi-*
10. n. 9. & *Dist. 1. n. 101.*

49.

DI.

DISTINCTIO II.

De Tertio Præcepto Ecclesiæ; sive,
De Jejunio.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jejunium, & quæ ejus requisita?

1. **T**ertium Ecclesiæ Præceptum communiter sequentibus verbis comprehenditur: *Jejunia certis diebus, temporibusque indicta servato.* Concordat Canon 68. Apostolorum, de jejnijs Ecclesiasticis observandis expressè statuens: & textus c. *Quadragesima. de consecrat. dist. 5. cum seqq. can.* Tertium Ecclesiæ præceptum, quod?

2. Cæterum Jejunij nomen quandoque sumitur generaliter, pro abstinentia à vitijs & peccatis; in qua acceptione D. Augustinus tract. 17. in Ioannem, relatus c. *Jejunium. de consec. dist. 5. ait: Jejunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium.* Et D. Basilius Homil. 1. de Jejunio: *Verum jejunium est, ab omnibus vitijs esse alienum.* In proposito non accipitur Jejunij nomen tam generaliter, sed magis propriè, ac specialiter pro abstinentia à cibo & potu. Jejunium generaliter acceptum, &

3. Jejunium, prout sumitur specialiter, ac propriè pro abstinentia à cibo & potu, rursus duplex est, naturale scilicet, & Ecclesiasticum. Jejunium specialiter, quid?

4. *Jejunium naturale est abstinentia à qualibet re sumpta per modum cibi, aut potûs, vel etiam per modum medicinæ.* Et tale Jejunium de præcepto Ecclesiastico requiritur ad summptionem SS. Eucharistiæ Sacramenti; unde Rubricæ Missalis, Tit. de *De-fectibus dispositionis corporis*, sic loquuntur: *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post summptionem solius aquæ, vel alterius potûs, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non potest communicare, neo celebrare.* Ubi tamen mox subjungitur in hæc verba: *Si reliquia cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aqua præter intentionem.* Hæc ibi. Verùm de Jejunio naturali ex professo hic non agitur: sed de Jejunio Ecclesiastico; de quo loquendo, sit Et quando violatur?

Jejunium
Ecclesiasti-
cum, quid?

5. CONCL. I. *Jejunium Ecclesiasticum* est voluntaria abstinencia à cibo juxta præscriptum Ecclesiæ. Ita in re communis. Dicitur, *voluntaria abstinencia*: quia Jejunium est actus virtutis Temperantiæ, & consequenter debet esse actus liber, & voluntarius. Hinc, qui invitus omnino abstinet à cibo, quia nimirum eo caret, potius esurire, quam jejunare censetur.

Hoc non
frangitur
per potum.

6. Dicitur ulterius, *à cibo*: quia potus, quamvis sit vinum, non solvit Jejunium Ecclesiasticum. Nec obstat, quod quis sæpius de die bibat non solum ad sedandam sitim (quæ cum sit vehementior, & crebrius accidat hominibus præ fame, noluit Ecclesia, utpote pia Mater, potum prohibere) verum etiam ad sedandam aliquam famem. Resp. enim, adhuc non solvi Jejunium: quia sub præcepto Ecclesiastico Jejunij non prohibetur intentio, sed solum externa cibi refectio, quæ fit contra præscriptum Ecclesiæ.

Cautela cir-
ca haustum
interdiu fa-
ctum.

7. Addunt Doctores, ad haustum interdiu factum, etiam modicum panis, vel amygdalas paucas accipi posse, ne haustus ille noceat. Interim tamen cavendus, quantum ad hoc, excessus, ne repetitis sæpius buccellis ad magnam tandem quantitatem deveniatur: nam Alexander VII. sequentem inter alias, ordine 29. Propositionem damnavit: *In die jejuniij, qui sapius modicum quid comedit, et si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Ab hoc proinde cavendum.

Ad Jejuni-
um Eccle-
siasticum,
tria requi-
runtur.

8. CONCL. II. Ad Jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur, videlicet Abstinencia ciborum certi generis, Abstinencia plurium refectio, & Certa hora refectio. Ita rursus communis Doctorum; & patet ex perpetuo usu, atque praxi Ecclesiæ, & illic quoad singula declarabitur.

Delectus ci-
borum, in
quo confi-
stat?

9. Quantum igitur attinet ad primum, nempe ad *Abstinenciam à certis cibis*; sive, ut loquitur Concilium Trident. Sess. 25. cap. 21. *Delectum ciborum*: in primis diebus Jejunij abstinendum est à carne; deinde etiam à lacticiis, videlicet à lacte, caseo, & ovis, prout habetur can. Denique, dist. 4. ibi: *Par autem est, ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, qua sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis.* Accedit Decretum Alexandri VII. hanc inter alias, ordine 32. Propositionem damnantis: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticia in Quadragesima obliget.*

Circa lacti-
cinia est at-

10. Verum his non obstantibus, quantum attinet ad lacticia, attendenda est consuetudo cum generalis, cum particularis loco-

locorum: utpote quae partim est optima legum interpret, par- tendenda
tim etiam, sicut de novo potest legem inducere, ita & priori de- consuetudo
rogare. Unde in primis in Ferijs sextis, & Sabbatis per annum, locorum
quando aliud Ieiunium de praecipito non occurrit, ubique loco-
rum permittuntur lacticia, etsi esus carniū sit prohibitus.
Deinde in quibusdam locis ova atque lacticia solum prohi-
bentur tempore Quadragesimae, & extra illud non sunt vetita; alie
ubi verò diebus Ieiunij etiam extra Quadragesimam non
permittuntur, ut notat Navarrus cap. 21. Manual. n. 15. Tan-
dem in Germania ex antiqua consuetudine videmus permissa o-
va, & lacticia omnibus Ieiunijs totius anni; idque factum cre-
ditur ob defectum olei, atque aliorum ciborum Quadragesima-
lium, qui alibi abundare solent.

11. Quoad secundum, videlicet quoad Abstinentiam plurium Abstinentia
refectionum, est sciendum, quod ad Ieiunium requiratur, ut in die plurium res
(sive intra spatium unius diei naturalis, à media nocte usque ad refectionum
aliam median noctem computandum, arg. l. More Romano. ff. de Fe- quid im-
rijs) non nisi unica refectio, seu comestio fiat: prout fatentur un- portet
nimitter Doctores, & patet ex perpetua atque universali Ecclesiae
consuetudine. Verum tamen est, quod Ecclesia his posterioribus
saeculis ob corporum infirmitatem, quae Mundo senescente semper
magis augetur, & alijs rationabilibus de causis, ex longæva con-
suetudine & tacito consensu indulserit, ut praeter dictam unam
comestionem modicum aliquid cibi serò per modum collatiun-
culae sumatur. Dicitur notanter, modicum aliquid cibi: quia qui no-
tabiliter excederet, procul dubio Ieiunium frangeret. Sed de hoc
amplius n. 23. & seqq.

12. Tertia tandem Ieiunij conditio, quae est Certa refectionis Certa refectionis
hora hoc importat, ut unica illa resectio non prandij, sed coenae refectionis hora
rationem obtineat: unde & Breviarium Romanum in Bene- ra, quae
dictione Mensae praescribit, quod, quando semel comeditur (puta
diebus Iunij) omnes preces dicantur ut in Coena. Et quidem
haec unica resectio prioribus saeculis tempore Quadragesimali
usque ad vespertam prorogari debebat, uti patet ex can. So. est.
de consec. dist. 1. Alijs verò diebus Ieiunalibus differabatur us-
que ad horam nonam, quae est tertia post meridiem, uti testa-
tur D. Bernardus Serm. 4. de Quadragesima. Caeterum hisce po-
sterioribus saeculis, quibus ob corporum infirmitatem concessa
fuit collatiuncula vespertina, pariter ob eandem causam usu re-
ceptum est, ut resectio illa unica fiat circa meridiem, & Vespere

Nonn

ll

in Choro tempore Quadragesimæ dicantur manè ante comestio-
nem, ut sic primævæ consuetudinis Ecclesiæ memoria retinea-
tur. Sed quia de istis tribus Jejunij Ecclesiastici conditionibus spe-
ciales occurrunt difficultates, hinc sic

Q U Æ S T I O II.

Solvuntur varia Dubia circa tres Jejunij con-
ditiones.

Dispensatus 13.
circa esum
carnium, an
possit bis
comedere?

Quæritur I. circa primam Jejunij conditionem, An di-
spensatus circa esum carniū, censeatur dispensatus
ad non jejunandum, ita ut possit sæpius de die come-
dere? Resp. cum Mastro *disp. 12. Theol. Mor. num. 6.* diversas
quoad hoc dubium esse Doctorum sententias.

Sententia
negativa
multorum,

14. Et quidem negativam sententiam non pauci tenent, ut
Graffeus, Petraza, aliique plures; quam sententiam amplectun-
tur etiam Lessius, Reginaldus, Cajetanus, Navarrus, & multi
alii, loquendo de casu illo, quo quis dispensatus est in esu carniū
non ratione debilitatis naturæ, sed quia à piscibus abhorret, aut
hi ejusdem temperamento nocere solent. Rationem dant: quia
præceptum Ecclesiæ, quando non potest servari in totum, nihil-
ominus in parte, quæ servari potest, servandum est, *arg. c. Cum
dilecti. de Dolo & contumac.* Idem suadet per simile: nam qui
non potest recitare totum Breviarium, potest tamen recita-
re partem, tenetur ad recitandam partem, prout alibi (a) di-
ctum. Sic etiam, qui est dispensatus in duplici refectioe, non id-
circo est dispensatus in esu carniū. Confirmatur: quia, quan-
do quis est dispensatus in esu carniū non ratione suæ debilita-
tis, sed quia à cibis jejunalibus abhorret, nulla subest causa, cur
gemina comestio concedatur; ergo saltem tunc ea erit illicita:
nam dispensatio sine causa non valet.

(a) Tract.
6. Dist. 1.
p. 83.

Affirmativa
probabi-
lior.

15. Affirmativa nihilominus sententia est probabilior, at-
que inter Doctores communior, quam tenent Toletus, Diana,
Tamburinus, Azorius, Filliucius, & Mastro, citans plures alios.
Ratio est: quia abstinentia ab esu carniū est de substantia Je-
junij Ecclesiastici; ergo qui dispensatus est quoad comestionem
carniū, eo ipso est dispensatus à Jejunio, & consequenter pote-
rit bis vel sæpius comedere; cum sublatâ substantiâ Jejunij, cen-
seatur solutus à lege Jejunij. Et per hoc patet ad rationes prio-
ris

ris sententiæ, quæ solùm urgent in illis casibus, quibus præceptum Ecclesiasticum potest servari quoad suam substantiam saltem ex parte, licet non ex toto: quod non fit, neque concessâ comestione carniû fieri potest in Jejunio Ecclesiastico.

16. Quæritur II. quantum attinet alteram conditionem Jejunij, An semel tantum in die Jejunij comedens, sed tot cibus Quadragesimalibus ventrem replens, ut nullam carnis afflictionem sentiat, quinimò gulæ indulgeat, violet Jejunium Ecclesiasticum? Ratio dubitandi est: tum quia Jejunium Ecclesiasticum est actus Temperantiæ: atqui talis actus Temperantiæ in proposito non intervenit, ob excessum illum, qui degenerat in gulum, vel etiã ebrietatem. Tum quia parùm refert, quid de æquipollentibus fiat: atqui talis una excessiva comestio potest æquivalere duabus vel tribus alijs comestionibus; per quas utique frangeretur Jejunium Ecclesiasticum. Tacentur aliæ rationes, quas ponit Covarruvias lib. 4. var. Resolut. cap. 20. num. 11.

Jejunium Ecclesiasticum an violet, replens ventrem cibus Quadragesimalibus? Ratio dubitandi.

17. Resp. cum Reginaldo lib. 4. cap. 14. n. 163. Cajetano, Medinã, & alijs, quamvis talis perdat meritum jejunij in totum, vel in partem, simulque peccet juxta qualitatem excessûs (etiam mortaliter, si excessus tam magnus sit, qui in non jejunantibus culpam mortalem induceret:) nihilominus is non judicabitur ab Ecclesia transgressor jejunij, neque ex eo capite punietur à Deo, sed ex alio, quia videlicet peccavit peccato gulæ; aut, si excessit in nimio potu, peccato ebrietatis. Ratio est: quia talis non agit contra substantiam jejunij Ecclesiastici; nam Ecclesia solùm præcipit abstinentiam à carnibus, & à secunda refectione, atque ut ante certum tempus non fiat refeccio; quæ omnia in casu posito observantur.

Resolutio Quæstionis.

18. Ad rationes dubitandi, & earum primam dicitur, Jejunium Ecclesiasticum dici actum Temperantiæ, non quòd Ecclesia illum præcipiat ut modificatum omnibus conditionibus virtutis Temperantiæ, sed ut modificatum ad minimum saltem tribus jam enumeratis. Neque obstat, quòd Ecclesia præcipiens jejunium, intenderit corporum nostrorum castigationem. Resp. enim, hoc parùm urgere: quia finis præcepti non cadit sub præcepto, ita videlicet, ut finis ipse præceptus esse censetur. Deinde ejusmodi castigatio intervenit in proposito saltem per hoc, quòd fiat abstinentia à carnibus, atque secundâ refectione: aliæ verò mortificationes sunt quidem saluberrimæ, atque à SS. Patribus passim commendatæ, ex tamen non cadunt sub specia-

Solvuntur contraria.



præcepto Jejunij Ecclesiastici, ut dictum. Ad alteram instantiam negatur minor: etsi enim unica illa comestio possit æquipollere pluribus quoad quantitatem ciborum sumptorum, non tamen pluribus æquipollere quoad multitudinem refectioinum; quia semper manet unica refectio.

Sæpius in die Jejunij comedens carnes, peccat toties quoties comedit?

19. Quæritur III. An qui sæpius comedit in die Jejunij, toties peccet, quot sunt comestiones? Resp. I. Quando in die Jejunij comeduntur cibi vetiti, utpurà carnes, toties peccatur contra præceptum Jejunij, quoties distinctis comestionibus manducantur tales cibi. Ita Doctores communiter. Ratio est: quia in præcepto Jejunij duo includuntur, quorum unum est simpliciter negativum, scilicet ne comedantur cibi vetiti; alterum verò affirmativum, nempe ut quis unicam refectioem, & quidem non nisi tempore debito sumendâ, contentus sit: atqui per quamcunque carniû comestionem semper violatur præceptum Jejunij, quatenus est negativum; ergo etiam toties peccatur, & quidem mortaliter, nisi excuset levitas materiæ. Et hoc ultimum idcirco additur, quia negari non potest, in proposito dari posse peccatum veniale ob levitatem materiæ: ut si de cibis vetitis comedatur duntaxat modicum quid, purà in quantitate unius unciz, vel (ut aliqui volunt) duarum unciarum.

Et quidem mortaliter, nisi excuset levitas materiæ; quare?

Quid, si sæpius quis comedat cibos licitos?

20. Resp. II. Qui verò sæpius in die comedit cibos ceteroquin licitos, peccat solum per secundam comestionem contra præceptum Jejunij, non verò per tertiam, vel alias subsequentes, Ita Maltrius *loc. cit. n. 9.* cum communiori & probabiliori Doctorum, contra Medinam, & paucos alios. Ratio est: quia præceptum Jejunij non obligat ad impossibile: atqui positâ jam secundâ comestione, quamvis culpabili, impossibile est, ut quis unicam tantum refectioem contentus sit; ergo ad hoc amplius non obligat; & consequenter fit peccatum contra legem Jejunij in secunda tantum refectioem, non autem in alijs sequentibus. Dicitur, *contra legem Jejunij*: nam per subsequentes comestiones potest quis peccare contra Temperantiam, licet non contra præceptum Jejunij.

Solvuntur instantiæ.

21. Nec dicas, Præceptum Jejunij est de unica tantum refectioem: atqui toties quis agit contra hoc præceptum, quoties ultra unicam refectioem comedit interpolatis vicibus; ergo etiam toties peccat. Resp. negando minorem: quia post secundam illicitam comestionem præceptum Jejunij de unica tantum refectioem, seu potius, ut quis unâ duntaxat refectioem

con-

contentus sit, amplius servari non potest, sicque quoad hoc cessat eius obligatio,

22. Nec obstat, quod quis saepius comedendo carnes in die Jejunij, saepius peccet; sicque a pari etiam plures sumendo refectioes videatur saepius peccare. Resp. enim negando consequentiam, & paritatem. Disparitas est: quia praecipuum de non comedenda carne est simpliciter negativum, obligans semper & pro semper in die Jejunij, potestque post primam comestionem carnis adhuc pro reliqua diei Jejunialis parte servari. Praecipuum verò de suranda una solum refectioe, non obstante, quod etiam primam fronte videatur negativum, nihilominus remelius considerata est affirmativum, obligans, ut jejunans sit unica comestione contentus; & hoc post secundam comestionem est observatu impossibile.

Differentia inter praecipuum de non comedenda carne, & non sumenda secunda refectioe.

23. Quæritur IV. Quid censendum de Collatione vespertina? & I. Collatio vespertina, quæ prioribus saeculis ignorabatur, posterioribus hisce saeculis ob corporum infirmitatem, quæ Mundo senescente semper magis magisque augetur, & alijs rationabilibus de causis, ex generali consuetudine, & tacito consensu Ecclesiae, in modica quantitate permilla est, ac licita. Ita communis. Et hanc Doctores non refectioem, sed refectiunculam duntaxat, per quam jejunium non solvitur, appellandam censuerunt, utpote in parva solum quantitate sumendam.

Collatio vespertina, an permilla?

24. Resp. II Quantum cibi in tali refectiuncula, seu Collatione, licitum sit sumere, non tam facile est determinare; & forsitan aliquibus de hoc disputantibus illud D. Hieronymi dictum quadrat, quod refertur can. Gloria. 12. q. 2. *Plenus venter facile de jejunij disputat.* Referam igitur praecipuas, & probabiliores sententias Doctorum, saltem in hoc convenientium, quod refectiuncula illa (ut ipsum nomen demonstrat) debeat esse modica, ne transeat in coenam vel semicoenam.

Quantum cibi in ea sumere liceat?

25. Et quidem Filliucius tract. 27. c. 2. n. 32. ait, in hac refectiuncula quatuor, quinque, vel ad summum sex uncias sumi posse, ut volunt (inquit) plerique ex Recentioribus. Unde ultra sex uncias (*Uncia est duodecima pars assis, sive unius librae: sed libra aromataria est major quatuor uncias, & continet triginta duas semiuncias*) inciperet refectiuncula deficere a debita mensura, & accederet ad peccatum, levius vel gravius, juxta qualitatem excelsus,

I. Sententia, certas uncias admittens. Uncia, quid?

II. Sententia, id determinandum eentens pro varietate circumstantiarum ;

26. Deinde alij asserunt, non posse taxari, seu determinari certam pro omnibus jejunantibus quantitatem cibi pro Collatione vespertina, sed eam variam esse posse pro varietate tum personarum ; uti videre est in provecioribus ætate, infirmis, nobilibus personis, qui pluribus epulis & delicatioribus assueti sunt : tum locorū ; uti accidit in frigidis regionibus, ubi major Collatio conceditur, quàm in callidis : tum exercitij & laboris, in quo quis occupatus est, vel defatigatus. Nam quia hujusmodi labor quandoque totaliter excusat à Jejunio, pariter existente aliquâ rationabili causâ, v. g. laboris, studij, aut hujusmodi, aliquid ultra consuetum sumi potest in Collatione.

Vel admitrens quartam partem justæ cœnæ,

27. Quòd si regulam quandam generalem etiam circa hoc petas, respondet Reginaldus *lib. 4. n. 185.* & post eum Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 9.* ordinariè loquendo, & nisi aliqua causa justa excuset, v. g. laboris, infirmitatis, &c. non esse notabiliter excedendam quartam partem eorum, quæ jejunanti spectatâ suâ complexione sufficerent ad ordinariam cœnam : alioquin enim quis semicœnaret.

III. Sententia, ad consuetudinem locorum recurrens,

28. Alij verò, ut Bonacina *punct. 3. de Jejunio, n. 2.* citans Tôletum, & alios, asserunt, hanc regulam esse desumendam ex consuetudine in singulis Regionibus receptâ : nam refectiuncula ista est per consuetudinem introducta ; ergo sumi potest juxta limites receptæ consuetudinis. Cavendum tamen, ne tanta cibi quantitas sumatur, ob quam collatio transeat in cœnam, vel quasi cœnam.

In Collatione an etiam qualitas ciborum sit attendenda?

29. Resp. III. Utrum in refectiunculâ illâ non tantùm quantitas, sed & qualitas ciborum sit attendenda, rursum diversæ sunt sententiæ ; in praxi tamen tum recepta locorum consuetudo, tum aliæ circumstantiæ erunt attendendæ.

Sententia.

30. Prima pars de diversitate sententiarum inter Doctores. ex eo patet : quia plerique Doctores pro Collatione solùm admittunt leviuscula ciborum genera, quæ parùm nutriant, & potiùs ad sitim extinguendam deserviant : ut sunt herbæ, poma, uvæ, & hujusmodi fructus arborum, nec non & aliqua ex saccharo confecta. His tamen ex communi usu, vel in defectum fructuum, vel ne hi soli noceant, panem addi posse concedunt, non obstante, quòd panis plurimùm nutriat, famémque depellat : cibos autem, qui communiter inter fercula apponuntur, ac juscula cocta ex pane, & hujusmodi, nisi adsit alia causa excusans, cen-

consent esse prohibita. Ita Filiucius, Azorius, & alij, quorum sententia communiore usu videtur esse recepta.

31. Econtrà Bonacina *loc. cit.* & quidam alij volunt, in dicta refectiuncula non tam strictè prohiberi cibi qualitatem, sicuti interdicitur quantitas: unde dictus Author admittit, posse licitè sumi jusculum, modò non sit de cibis prohibitis, comedi pisciculum, aut exiguam partem piscis majoris; imò plures res in eadem Collatione degustari posse, dummodò cibi quantitas non excedatur, neque Collatio transeat in cœnam, nec aliud præceptum obstat. Et hæc quoad diversitatem sententiarum.

32. Altera pars datæ responsionis, videlicet in hoc attendendam esse receptam consuetudinem locorum, ex eo patet: quia refectiuncula illa est introducta per consuetudinem, ergo juxta hujus limites poterit sumi. Sic in partibus hisce Septentrionalibus passim pro Collatione admittitur caseus unà cum ovis frigidis, quamvis hi cibi præ cæteris nutriant, atque in alijs terris prohibeantur. Quod autem de jusculis calidis addit Bonacina, id consuetudo hæctenus recepta non videtur admittere, nisi in casu debiliore complexionis, vel aliâ justâ causâ interveniente: prout forsan inter Personas nobiliores delicatioribus assuetas, aut studijs gravioribus defatigatas, quandoque fieri solet.

33. Quæritur V. circa tertiam Jejunij conditionem, An sit peccatum mortale, notabiliter anticipare tempus ordinariæ comestionis in die Jejunij, v. g. per unam, vel alteram horam? Resp. Non desunt equidem Doctores, qui putant, hoc esse peccatum mortale, si absque justa causâ fiat; pro qua sententia citatur Navarrus *c. 21. Manualis, n. 27.* Covarruvias, Cajetanus, & nonnulli alij: dicendum tamen cum communiore, & probabiliori Doctorum, id non esse peccatum mortale, sed veniale solum, si fiat absque justa causa. Ratio est: quia non violatur substantia præcepti Jejunij, sed tantum circumstantia quædam accidentalis. Lessius *lib. 4. de just. & jure, cap. 2. n. 13.* & alij.

34. Dicitur, *sed veniale tantum, si fiat absque justa causa*: quia tunc fit aliqua inordinatio. Quòd si verò justa causa subsit, utputà iter sit ineundum, si hospites dimittendi, aut hujusmodi, nullum erit peccatum, ne quidem veniale.

35. Quæritur VI. Utrum similiter ille peccet, qui manè sumit Collationem cæteroquin sumi solitam, & prandium usque ad vespas vel noctem differt? Respondet Bonacina

ll. Sententia.

In praxi attendenda est recepta locorum consuetudo.

Quale peccatum sit, anticipare tempus comestionis?

quid, si justa causa subsit?

An sit peccatum, si manè

11111.

Collatione
differe
prandium
ad vespe-
ram?

num. 6. & Layman num. 10. cum alijs communiter, id continere peccatum veniale. si fiat absque causa. eò quòd pervertatur ne- cepta consuetudo: nullum, si justa causa interveniat. v. g. copia negotiorum, non permittentium sumptionem prandij in mè- die, vel periculum infirmitatis, &c. Verùm Matrius *cit. disp. 12. n. 8.* Reginaldus *lib. 4. num. 186.* Azorius, & quidam alij, proba- bile esse censent, talem (dummodò sumat refectiunculam horâ consuetâ prandij, & non priùs, nisi adsit alia justa causa) nec ve- nialiter peccare, licèt sine speciali causa differat prandium ad noctem. Rationem dant: quia talis modus neque ex toto, ne- que ex parte, solvit substantiam jejuniij: quinimò hic modus je- junandi magis conducit ad corporis afflictionem, unde & olim in Ecclesiâ primitivâ refectio sumebatur ad vesperam.

QUÆSTIO III.

Quæ sit obligatio Jejuniij?

Jejuniâ solo
jure Ecclie
sacrosan-
ctitate sunt

36. **C**ONCL. I. Omnia Jejuniâ solo jure humano, seu ex præcepto Ecclesiæ instituta sunt, quamvis Jejuniû Quadragesimale, nec non Jejuniâ Quatuor anni Tem- porum ex Apostolica traditione descendant. Ita communis. Ratio est: quia si Jejuniâ essent Juris Divini, sive à Christo Domi- no instituta, non potuisset tanta variatio circa ea intervenire, quantam ex consuetudine varijs locis & temporibus patet esse inductam; siquidem contra Jus Divinum non valet consuetu- do, *cap. ult. de Consuetudine.*

Jejuniâ
Quadrage-
simale ab A-
postolis in-
stitutam.

37. Cæterum sub Jure humano Ecclesiastico comprehen- dentur ordinationes Apostolorum, quas ipsi ut Rectores Eccle- siarum fecerunt. Et quidem Jejuniû Quadragesimale, ad ex- emplum Christi Domini per quadraginta dies jejunantis, ab Apo- stolis fuisse institutum, patet ex Canone 68. Apostolorum: unde D. Leo *Serm. 6. de Quadragesima* ait: *Apostolica institutio quadra- ginta dierum jejunijs impleatur.* Et hoc ipsum alijs SS. Patres passim docent. Verùm quidem est quòd S. Ambrosius *Serm. 25.* alle- rat, *indictam esse Quadragesimam à Domino.* At hujusmodi dictum ex eo salvatur, quia Apostoli ad Christi imitationem, & ex Divi- no instinctu illud Jejuniû præceperunt.

Quid de
Quatuor
anni Tem-
poribus?

38. Porro Quatuor anni Tempora instituit S. Callixtus Pá- pa I. quibus Jejuniû ex Apostolica traditione accèptum ab omnibus servaretur; ut habetur in Breviario Romano, & *Le-*

titio.

tionibus Fæsti ejusdem, die 14. Octobris : reliqua verò Jejunia successivè per Ecclesiam fuerunt instituta.

39. CONCL. II. Hoc præceptum Jejunij ita obligat, ut si violare jejunium Ecclesiasticum, est peccatum mortale. Ita abique justa causâ violetur, committatur peccatum mortale. Ita communis, & certa Doctorum, paucis exceptis, & à Lessio *loc. cit.* num. 32. relatis, qui volebant, tunc solum peccari mortaliter, quando ex consuetudine aut contemptu violatur. Sed horum sententiam rejecit Alexander VII. inter alias etiam sequentem, ordine 21. Propositionem damnando : *Frangens jejunium Ecclesia, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat : puta quia non vult se subicere præcepto.* Accedit ratio : quia generaliter Leges Ecclesiasticæ in materia gravi, qualis est hæc, obligant sub mortali. Et hinc olim violatores Jejunij jubebantur excommunicari, *cit. can. 68. Apostolorum* : atqui excommunicatio non incurritur, nisi ob peccatum mortale.

40. CONCL. III. Omnes Christiani completo vigesimo primo ætatis anno tenentur servare Jejunium diebus ab Ecclesia præscriptis, nisi justâ aliquâ causâ excusentur. Ita certa, & communis Doctorum ; idque patet ex praxi, & communi sensu Fide-
 Omnes Christiani tenentur illud servare.

41. Additur notanter, *completo vigesimo primo ætatis anno.* Quia, cum adolescentes ante completum tertium septennium frequentiore & abundantiore cibo indigeant ratione augmentationis, seu ob crescentem ætatem, & caloris abundantiam, noluit Ecclesia obligationem jejunandi eidem imponere ante completum vigesimum primum ætatis annum ; ut tenet D. Thomas 2. 2. q. 157. art. 4. ad 2. & communis Doctorum, ac probat recepta consuetudo. Sed primum completo 21. ætatis anno.

42. Et hoc adeò verum est, ut etiam is, qui explet annum vigesimum primum in die Jejunij, ante horam ejus ultimam completam necdum teneatur jejunare ; sed eâ transactâ tenetur, dummodò possit, nec antea receperit plures refectioes : quia tunc jam currit tempus præcepti Ecclesiastici, non verò prius. Bonacina *loc. cit. punct. ult. num. 7.* & alij. Adhuc tamen conveniens est, ut adolescentes etiam priori tempore sese ad jejunandum exerceant, & assuescant, plus, minus, secundum modum ætatis suæ. Quid de ultimo die 21. anni ?

43. Cæterum data doctrina de adolescentibus, intelligenda est, quantum ad præceptum Jejunij quoad unicam refectioem : nam à carnibus, aliisque cibis prohibitis, & ipsi abstinere
 Adolescentibus, vel infantibus, tenen-

O o o o

tenen-

an liceat
vesci carni-
bus?

tenentur. Infantibus tamen nondum præditis usu rationis, utpote cum præcepti Ecclesiastici capaces non sint, infra primum septennium tales cibos dare licitum est: nisi consuetudine in contrarium existente id scandalosum foret. Reginaldus lib. 4. n. 208. & alij.

Adolescentes possunt obligari ad Jejunium ex alijs causis.

44. Deinde posita Conclusio loquitur solum de Jejnijs Ecclesiasticis: quia adolescentes ante vigesimum primum annum possunt quandoque ex alijs causis obligari ad Jejunium. Nam imprimis possunt teneri ad Jejunia ex Voto: prout Professi Regulam FF. Minorum, jam ante completum vigesimum primum annum tenentur servare Jejunia suæ Regulæ, cum per Professionem dictæ Regulæ vi Voti ab ipsis emissi suo jure cesserint. Similiter tales adolescentes tenentur ad Jejunia pro Sacramentali pœnitentiâ imposita.

Obligatio Jejunij Ecclesiastici est personalis,

45. CONCL. IV. Obligatio Jejunij ab Ecclesia indicti est personalis, unde nequit illud per alium persolvi. Ita communis. Ratio est: quia finis Jejunij Ecclesiastici est, moderatè affligere corpus, carnemque propriam edomare; juxta quod Ecclesia canit in Præfatione Missæ Quadragesimalis: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, &c.*

Et certis diebus affixa.

46. CONCL. V. Obligatio Jejunij Ecclesiastici est certis, ac determinatis ab Ecclesia diebus affixa; atque idè ille, qui tali die jejunare non potest, aut etiam culpabiliter illud violat, non tenetur loco ipsius alio die jejunare. Ita rursus communis; idque patet à simili in præcepto audiendi Missam diebus Festivis, atque in obligatione Sacerdotum recitandi Breviarium, quæ pariter diei affixa est, & cum die transit.

Quid de Jejunio ex voto, vel pro pœnitentiâ injuncto?

47. Dicitur, *obligatio jejunij Ecclesiastici*. Nam loquendo de Jejunio debito ex Voto, est attendenda ipsius voventis intentio: unde qui vovit bis in hebdomada jejunare, dies autem certos non determinavit, potest, quibus voluerit, jejunare; & non jejunans hac die hebdomadæ, tenetur aliâ jejunare: quia sic, & non aliter, sibi obligationem mediante suo Voto imposuit. Qui verò vovit singulis sextis Ferijs jejunare, tenetur hisce determinatis diebus jejunare. Sic pariter discurrendum de Jejunio cuiuspiam imposito à Confessario pro pœnitentiâ Sacramentali: quamvis, si secus non exprimat, Confessarius non censetur ita alligare jejunium certæ diei, ut si tunc non servetur, aut ob impedimentum servari nequeat, pœnitens sit liber à jejunio illo imposterum servando, ne Sacramentum Pœnitentiæ remaneat

neat incompletum ob defectum Satisfactionis, quæ est pars integralis ipsius.

48. CONCL. VI. Qui solvit jejunium ex duplici præcepto Ecclesiæ obligatus, v. g. Vigiliæ & Quatuor Temporum, seu Vigiliæ & Quadragesimæ, unicum numero peccatum committit. Ratio est: quia, licet talis ex duplici titulo obligetur, utrumque tamen præceptum Jejunij Ecclesiastici obligat ex eodem motivo virtutis Temperantiæ: atqui peccata non multiplicantur numero ex multiplicitate præceptorum, quando eandem virtutem respiciunt. Unde in simili omittens auditionem Missæ die Dominico, in quem incidit Festum de præcepto, non peccat duplici peccato. (b)

49. Additur notanter in Conclusionem, ex duplici præcepto Ecclesiæ obligatus; dum videlicet omnia Jejunia Ecclesiastica ex eodem motivo formali virtutis Temperantiæ injunguntur. Nam secus dicendum, si quis obligetur ad jejunium ex duplici præcepto, quod procedit ex motivo diversarum virtutum; ut puta quando quis tenetur jejunare ex Voto, sicque ex motivo formali virtutis Religionis; simulque ex motivo Temperantiæ, ratione concurrentis præcepti Jejunij Ecclesiastici: nam violans hujusmodi Jejunium; duplici specie peccati peccabit, nimirum & contra Temperantiam, & contra virtutem Religionis. (c)

50. CONCL. VII. Si quis cessante causâ rationabili excusante deliberatè statuit, per totam Quadragesimam nunquam jejunare, ratione hujus prævæ voluntatis unum numero peccatum committit, gravius tamen: quòd si verò postmodum hæc voluntas executioni mandetur, tot committuntur peccata numero distincta omissionis externæ Jejunij, quot sunt dies jejunales. Ita Filliucius tract. 27. cap. 5. num. 87. & concordant superius (d) dicta. Ratio primæ partis est: quia dum quis statuit, non jejunare per totam Quadragesimam, actus hic respicit omnia illa Jejunia per modum unius objecti adæquati, non autem fertur voluntas distinctè super singulos dies Quadragesimæ. Altera pars ex eo probatur: quia obligatio Jejunij est singulis Quadragesimæ diebus (Dominicis duntaxat exceptis) affixa; ergo & singulis illis diebus tenetur quis jejunare, & dum non jejunat, committit consummatam omissionem externam Jejunij præcepti.

Solvens jejunium ex duplici præcepto Ecclesiæ obligatus, committit unicum peccatum.

(b) Vide Tract. 3. Dist. 1. n. 41. & seqq. quid si quis ad illud tenebatur ex Voto, ac præcepto Ecclesiæ?

(c) Ut dictum Tract. 3. Dist. 1. n. 47.

Statuens per totam Quadragesimam non jejunare, vel non jejunans, quot peccata committit?

(d) Tract. 3. Dist. 1. n. 57.



Peccant
contra Præ-
ceptum Je-
junij, qui
alios ad id
violandum
inducunt.

§ 1. CONCL. VIII. Peccant insuper contra hoc præceptum Jejunij, qui alios ad jejunium violandum scienter inducunt. Ita communis. Quia tunc tales censentur aliis cooperari in fractione Jejunij: est enim regula generalis, quòd non solùm peccet, qui præceptum transgreditur, sed etiam, qui causa est, ut illud alij transgrediantur absque legitima causa. Hinc peccant Patresfamilias & Oeconomi, qui subditis suis præbent cibos vetitos, quibus jejunium solvant: quinimò non solùm non debent tales cibos ministrare, sed etiam monere, & curare lege Charitatis, ut subditi cessante justâ causâ excusante jejunium servent. Non tamen tenentur ipsos cogere ad servanda jejunia; nimis enim rigorosum, & durum id esset. Filliucius *ibidem* n. 91.

Caupo ap-
ponens car-
nes hospiti-
bus, an pec-
cet?

§ 2. CONCL. IX. Caupo, si adventantibus cibos vetitos, utputà carnes, apponat in locis Catholicis, graviter peccat; nisi urgeat necessitas, aut hospes habeat facultatem eas comedendi. Patet hoc ex priori Conclusionem. Additur, *in locis Catholicis*: nam in locis Hæreticorum, ubi communiter non observantur jejunia, non esset illicitum carnes apponere; dummodò tamen hospites ipsas petant, vel non possit Caupo recusare sine suo gravi incommodo, quia v. g. ab hospibus ad aliud hospitium perreçturis deferendus, vel à Magistratu puniendus foret.

An possit eis
ministrare
cœnam?

§ 3. Quantum ad cœnam attinet, si quidem constet, hospites non teneri ad jejunium, clarum est, eam posse ministrari. Verùm quando constat eos teneri, tunc si Caupo potest sine suo incommodo negare cœnam, tenetur: quia quilibet lege Charitatis obligatur, impedire offensionem Dei, quantum commodè potest. Si verò sine incommodo negare nequeat, utputà quia hospites aliò discessuri, & ibidem cœnaturi essent, aut gravius Deum offensuri blasphemando, vel maledicendo, tunc Caupo non peccat cœnam perentibus ministrando. In dubio autem, an hospites teneantur jejunare, & cœnam petant, præsumi potest eos excusari, sicque cœna porrigi. Filliucius *loc. cit.* n. 92. 93. & alij.

Jejunium
quomodo
obliget pe-
regrinos,
& advenas?
Remissivè.

§ 4. Circa obligationem Jejunij variæ hoc loco possent formari Quæstiones quoad peregrinos & advenas, an, & quomodo obligentur ad Jejunia particularia locorum, per quæ transeunt, & universalialia totius Ecclesie. Verùm de his copiosè jam dictum *Tract. 2. Dist. 3. Quæst. 3. & 4.* Ibi videatur.

QUÆ.

QUÆSTIO IV.

Quæ causæ à Jejunio excusent?

55. **A**Dvertendum, quòd præfens Quæstio præcipuè loquitur de causis ab observatione Jejunij excusantibus, quatenus per præceptum Jejunij unica duntaxat comestio carnium? ^{sensus quæstionis, & quid de estu carnium?} permittitur; non verò, quatenus estus carnium prohibetur: siquidem comestio carnium multò difficiliùs, nec nisi ratione gravioris necessitatis conceditur. Et hæc quidem si evidens sit ac urgens, neque commodè Superior adiri possit, licitum erit manducare carnes, & alios cibos vetitos, etiam absque ulla dispensatione: quòd si tanta necessitas non urgeat, aut de ea evidenter non constet, dispensatione Superioris opus erit, juxta Doctores passim.

56. **CONCL. I.** Quamvis causæ justæ, quibus Fideles ab obligatione Jejunij excusantur, multiplices esse possint; ex tamen commodè ad tria capita revocantur, nempe ad Impotentiam, Pietatem, & Necessitatem. Ita Reginaldus *lib. 4. n. 204.* quamvis nonnulli loco tertij membri ponant Laborem. Ratio est: quia, quando per observantiam præcepti Jejunij læderetur bonum corporis, excusat Impotentia; quando bonum animæ seu spiritûs, excusat Pietas; & quando læderetur substantia externa, excusat Necessitas, seu Labor ad bona externa sive acquirenda, sive conservanda necessarius. ^{Generatio tres causæ excusant à Jejunio, im- potentia, Pietas, Necessitas seu Labor.}

57. **CONCL. II.** Ratione Impotentia excusantur illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno, jejunare non possunt. Ita communis. Siquidem per Impotentiam non intelligitur tantummodò impotentia physica, quæ tunc contingit, quando quis non potest absolutè jejunare; sed etiam impotentia moralis, quæ accidit, quando quis absque notabili damno jejunare nequit. ^{Ratione im- potentia excusantur I. Physicè impotentes,}

58. Sic primò ratione impotentia moralis excusantur à jejunio infirmi, & convalescentes, etiam si infirmitatem propria culpâ contraxerint: nam quantum ad propositum, non est attendenda culpa præterita, ob quam infirmitas contracta est; sed ipsa præfens impotentia, ob quam quis jejunare nequit, sed indiget multiplici refectione. ^{II. Moraliter impotentes; ut infirmi, &c.}

59. Insuper ob dictam rationem excusari possunt, qui aliquid cibi noctu capiunt, ne necessario somno careant; aut quidpiam ^{Alioquin casus est}

mno neces-
fario, vel
vertiginem
patientes,

Mulieres
gravida, aut
lactantes,
Adolescen-
tes,
Pauperes,

Et senes,

Sexagena-
rij, an om-
nes excu-
sentur?

Resolutio

piam comedunt ad evitandam capitis vertiginem, vel membro-
rum tremorem, aut hujusmodi. Tum quia tale quid potius su-
mitur per modum medicinæ: tum quia Ecclesiæ non censetur
obligare cum tanto detrimento corporali. Bonacina *punct. ult.*
de Jejunio, n. 2. & alij.

60. Deinde hac de causa excusantur mulieres gravida, aut
lactantes, utpote quibus tum pro se, tum pro suo foetu, opus est
copiosiore cibo. Insuper excusantur adolescentes ante vigesi-
mum primum ætatis annum completum, juxta dicta *n. 41. & 42.*
Rursum excusantur pauperes, qui propter paupertatem ali-
mento carent sufficienti ad unam congruam refectioem in die
Jejunij sumendam: quinimò si alium cibum invenire non pos-
sunt, hi etiam carnes sibi datas licitè comedunt; nam Ecclesiæ
præceptum non obligat sub tam gravi incommodo.

61. Tandem à Jejunio excusantur Senes: nam senectus
ipsa est morbus, & quidem incurabilis, atque indigens mode-
rato & frequentiori cibo. Et hoc quidem certum est de seni-
bus septuagenarijs, quia ut plurimum sunt infirmi, atque egent
crebriori moderatâ refectioem: non enim possunt semel totum
alimentum naturæ sufficiens sumere, cum id ob caloris natura-
lis defectum, qui senectutem comitatur, concoquere non va-
lerent.

62. Quinimò multi Doctores, quos citat, & sequitur San-
chez *l. 7. de Matrim. disp. 32. n. 17.* & Mastrius *loc. cit. num. 20.* exi-
munt quoscunque Sexagenarios à Jejunio: quia (inquiunt)
senum sanitas non est firma & constans, sed fallax & incerta, me-
diâque inter morbum & sanitatem perfectam, atque ex levi mo-
mento in morbum decidit; unde *senibus simili ratione ijs, qui ex
morbo convalescunt, in viclu esse curandum*, notat Galenus *lib. 5. de Sa-
nitate tuenda.*

63. Verùm Lessius *lib. 4. cap. 2. n. 48.* Layman *lib. 4. tract.*
8. cap. 3. n. 2. Bonacina *n. 4.* & alii ab ipsis relati, hoc quidem or-
dinariè procedere ajunt, eò quòd illa ætas pluribus subjacere so-
leat incommodis, & natura tunc facilè tum inediâ, tum repletio-
ne graviter lædatur, & præcipitur: nihilominus tenent, Sex-
agenarios non esse absolutè eximendos à Jejunio, dum constat
non esse debiles, aut infirmos, sed sine damno jejunare possunt.
In dubio autem, an sint robusti & habiles ad jejunandum, faten-
tur omnes, eiusmodi Senes non teneri jejunare: quia stante tali
dubio, exponerent se periculo gravis incommodi.

64. Addit citatus Sanchez, sententiam aliquorum, qui foeminas quinquagenarias ob fragilitatem sexûs sui censent à Jejunio excusari, sicut viros sexagenarios, esse opinionem probabilem speculative loquendo, sed in praxi non tutam. Et reverà, nisi aliqua corporis debilitas accedat, aut constet, talem personam viribus jam defecisse, eadem in praxi sequenda non est; imò ipsam omninò improbabilem censet Layman *cit. n. 2. §. illud.*

65. CONCL. III. Ratione Pietatis excusantur à Jejunio, quicumque operibus præstantioribus, ac majoris momenti incumbunt, quæ unâ cum Jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt; ut sunt opera Misericordiæ, tum corporalis, tum spiritualis; item opera Religionis, ut concionari, docere, Sacramenta administrare, ac hujusmodi. Ita communis. Ratio est: quia labor mentis, ipsiusque ingenij, etiam redundat in corpus, illud affligendo, atque extenuando. Deinde Ecclesia suo præcepto intendit promovere Fideles ad opus bonum, non autem retrahere à meliori bono, seu operibus præstantioribus; ut sunt opera enumerata, & hujusmodi. Et hoc verum est, sive deinde opera illa gratis exhibeantur, sive ob mercedem.

66. Dicitur in Conclusionem, quæ absque gravi incommodo perficere nequeunt. Nam secùs dicendum, si opera illa sint facile compatible cum Jejunio: quod quidem in praxi dijudicandum erit juxta arbitrium viri prudentis, spectatâ talium operum qualitate, & attentâ ipsius operantis complexione. Porro in dubio melius erit ad tollendos omnes scrupulos, ut Superior cum talibus dispenset: quia circa hoc regula certa & universalis assignari non potest, nisi quòd lex Jejunij Ecclesiastici non obliget cum magna difficultate. Res tota magis declaratur exemplis.

67. Sic excusantur Concionatores, qui prædicant integrâ Quadragesimâ; quia valdè laborant: secùs, si tantum semel prædicent, nisi multum debilitentur. Similiter Lectores, Confessarii, imò & Cantores, Advocati, Judices, Medici, & alii hujusmodi, qui in suo munere sunt assidui, atque cum magna mentis & ingenij occupatione per totum diem studiis, lectionibus, & compositionibus intenti existunt, adeò ut suum officium agere nequeant cum Jejunio, excusantur ab eo: secùs, si studium &c. sit leve. Et ita loquendo de aliis similibus.

68. CONCL. IV. Ratione Necessitatis, sive laboris corporalis, excusantur à Jejunio, quotquot labore suo vicitant, cum quo jejunium commodè consistere non potest: quales sunt Agricola, Colæ, corporalis,

qui excu-
sentur?

colæ, & fermè Mechanici omnes. Nec refert, utrum sint paupe-
res, vel divites : quia hoc ipso, quòd ex officio laborent, excusan-
tur à Jejunio, si re ipsâ laborem subeant ; prout declarâsse Euge-
nium IV. post alios refert Lessius *cit. cap. 2. n. 43.* Accedit ratio :
tum quia Ecclesiâ diebus jejunalibus nulli prohibet consueta ser-
vitia, & labores subire. Tum quia labor corporalis, si gravis sit
& fermè continuus, valdè corpus defatigat, ejusque vires exte-
nuat, adèd ut laborantibus opus sit frequentiori cibo pro restau-
ratione virium.

Limitatio
quoad La-
bores ali-
quorum ex-
iguos.

69. Dicitur, & fermè Mechanici omnes. Quia communiter ex-
cipiuntur Pictores, quorum opus est ingenij potiùs, quàm viri-
um : item Sculptores, Sartores, & Barbionsores, quorum labor,
cum sit exiguus, per se loquendo non excusat à Jejunio. Hinc A-
lexander VII. sequentem inter alias, ordine 30. Propositionem
damnavit : *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant,
sunt excusati ab obligatione jejunijs, nec debent se certificare, an labor sit com-
patibilis cum jejunio.* Veruntamen in casibus particularibus atten-
dendum, an non tales quandoque excusentur ex alijs titulis ; ut-
putà ratione paupertatis, si non habent alimentum sufficiens pro
una competenti refectione ; vel alicujus debilitatis adjunctæ, aut
hujusmodi.

Itinerantes,
an, & quan-
do excusen-
tur à jeju-
nio?

70. Ob eandem causam ordinariè excusantur à Jejunio iti-
nerantes, præsertim pedites, si suscipiant longum iter, puta iter
totius diei, vel iter quindecim, viginti, aut duodeviginti millia-
rium Italicorum ; prout exemplificat Bonacina *n. 11.* & Azorius
part. 1. lib. 7. c. 17. quest. 9. hic enim censetur gravis labor interve-
nire. Secùs dicendum, regulariter loquendo, de ijs, qui equi-
tando, vel curru vehendo, tale iter perficiunt : nam hoc genus
itineris non ita defatigat. Unde & Alexander VII. sequentem
inter alias Propositionem, ordine 31. damnavit : *Excusantur ab-
solutè à præcepto jejunijs omnes, illi, qui iter agunt equitando, utcumque a-
gant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*
Quòd si verò iter longius sit, aut probabile periculum sublit su-
perventuræ debilitatis ob nimiam corporis agitationem, etiam
equitantes, vel curru vecti, à lege Jejunij excusabuntur. Et hisce
curru, aut equo iter agentibus, annumerandi videntur ijs, qui per
aquam ratibus, aut navibus vecti, itinera sua necessaria perfici-
unt : nam ex una parte tales aquâ vecti, non ita defatigari solent,
sicuti pedibus incedentes ; ex altera verò parte etiam aquei hu-
mores multùm molestant, atque extenuant corpus humanum,
ejus.

ejusque vires debilitant. Quamquam in casibus particularibus hoc ipsum pensatâ viâ diuturnitate, ac temporis, complexionis-que conditione, aliisque circumstantiis, pio proborum virorum iudicio sit dimetiendum.

71. Cæterum allatam doctrinam de itinerantibus non pauci Doctores intelligendam censent de itinere necessario, & quod commodè differri non potest: unde & allata Propositio damnata habet annexam clausulam illam, *Etiamsi iter necessarium non sit.* Et quamvis Azorius *loc. cit.* asserat, eum, qui ludendo valdè est defatigatus, adeò ut cibo ulteriori indigeat, tutò Jejunium solvere: mox tamen addit, si in fraudem legis se adeò quis ludendo defatigaverit, peccatum committi per hoc, quòd absque necessitate detur causa frangendj ex lassitudine jejunium, licet eâ jam datâ non ampliùs peccetur in solvendo jejunio.

Quid, si iter non sit necessarium?

72. CONCL. V. Qui jejunium non servat, bonâ fide putans, se justam non jejunandi causam habere, non peccat, quamvis re ipsâ non sit justa & sufficiens causa illa. Ita Reginaldus *loc. cit. n. 222.* Bonacina *punct. ult. n. 20.* & alij. Ratio est: quia bona fides eum excusat.

Bonâ fide non jejunans, haud peccat.

73. Secùs dicendum de eo, qui dubitat, an habeat justam causam non jejunandi: is enim tenetur jejunare. Ratio est: quia in dubio judicandum est pro possidente: sed possessio stat pro lege Jejunij; ergo stante dubio Jejunium est observandum. Intellige, nisi à Superiore dispensetur cum ipso in Jejunio, vel nisi is dubium practicè deponat consilio Confessarij, seu alterius viri probi & prudentis, aut aliâ ratione.

Secùs, si quis dubitet, an habeat justam causam non jejunandi.

74. CONCL. VI. Suprà recensitis causis à Jejunio excusantibus addi potest alia causa, magis tamen extrinseca, videlicet legitima Superioris dispensatio. Ita omnes Doctores; & patet ex ipsa Ecclesiæ, non rarò dispensantis, consuetudine. Advertendum tamen, quòd dispensatione opus non sit, quando necessitas est evidens, sed solùm, quando ea est dubia; idque sive ad esum carniùm, sive ad secundam tantùm refectionem.

Dispensatio legitima excusat à jejunio.

75. Porrò, ut ejusmodi dispensatio sit valida & licita, requiritur causa rationalis; id est, talis, quæ quidem sufficiens videtur, adhuc tamen de ejus sufficientia ad excusandum à Jejunio dubitatur, ideòque ad Superiorem recurritur, ut ipsius auctoritate suppleatur, si quid deesset. Et quidem minor causa, eaque privata sufficit, ut cum uno vel altero in Lege Jejunij per auctoritatem Superioris dispensetur: major verò, eaque publica, ut cum integra Communitate dispensari valeat.

Et quæ ad eam requiratur?

Episcopi
possunt di-
spensare in
jejunio.

76. Cæterum ejusmodi Superior, habens legitimam facultatem dispensandi in lege Jejunij cum suis subditis, est Episcopus, aut Prælatus Regularis respectu suorum Religiosorum. Ratio est: quia ad Episcopum pertinet dispensatio Juris communis in illis casibus, qui frequenter accidunt; idque tum ex præsumpta, & interpretativa voluntate Summi Pontificis, utpote ad quem ob casuum frequentiam difficilis foret accessus pro obtinenda semper circa Jejunium dispensatione; tum ex longæva consuetudine, ac præscriptione; alioquin ceterè Fidelium Communitati non esset sufficienter provisum. Et hæc eadem ratio militat de Prælatis Regularibus respectu suorum Religiosorum, utpote in quos *Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent*, ut dicitur *c. Abbates. de Privileg. in 6.*

Parochi an
dispensare
valeant cum
Parochia-
nis?

77. Addunt Doctores, etiam Parochos ex causa rationabili posse cum particularibus Parochianis dispensare in lege Jejunij: etsi enim Parochi (imò & Episcopi) non habeant potestatem supra Jus commune, quo præceptum est Jejunium, tamen sive ex tacito consensu Pontificis, sive ex longæva consuetudine, & præscriptione, eisdem acquisita est jurisdictio, & facultas ista dispensandi. Et hoc quidem passim fatentur Doctores in casibus illis, quando Episcopus est absens. Imò etiam præsentente Episcopo, utpote ad quem gravioribus negotijs implicatum non tam facilis patet aditus, præsertim hominibus vilioribus, ad obtinendam dispensationem, posse Parochum cum aliis in casu particulari, atque ex justa causa dispensare in lege Jejunij, probabilius censet Mastrius *loc. cit. num. 26.* cum alijs, quos allegat.

Causæ ha-
tenus alla-
tæ, an excu-
sent à jeju-
nio ex Voto
debito?

78. Quæres, an causæ, quæ juxta dicta excusant à Jejunio Ecclesiastico, pariter excusent à Jejunio ex Voto debito? Resp. affirmativè, dummodò non constet de alia votentis intentione. Ita Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 11. n. 54.* Bonacina *cit. punct. ult. n. 4.* & alij. Ratio est: quia Votum est lex privata, quam sibi quisque spontè imponit; ergo, si non constet de alia votentis intentione, est interpretandum juxta dispositionem aliarum legum circa eandem materiam, & consequenter eadem causæ utrobique excusabunt.

Quid, si con-
stet de alia
votentis in-
tentione?

79. Additur notanter, dummodò non constet de alia votentis intentione. Alioquin enim hæc erit attendenda: nam sicut quis votendo spontè sibi ipsi legem imponit, ita strictiorem, si voluerit, imponere valebit. Sic potest adolescens ex Voto obligari ad

Dist. III. Quest. I. Quid sit, & quo jure, ac quando obliget Conf. & c. 665
ad jejunium ante vigesimum primum ætatis annum, ut dictum
num. 44.

80. Deinde loquendo de FF. Minoribus, ex vi Regulæ ipso-
rum major requiritur necessitas, ut jejunare non teneantur, in je-
junij Regulæ, quam in jejunij Ecclesiæ: nam ad excusandum
in jejunij Ecclesiæ, non requiritur nisi probabilis necessitas; sed
in jejunij Regulæ requiritur manifesta, ut patet ex cap. 3. Regula,
ibi: *Tempore verò manifesta necessitatis non teneantur Fratres jejunio cor-*
porali: ac notat Petrus Marchantius *ibidem Quest. 3.* & alij Expositi-
tores, quidquid nonnulli contradicant.

DISTINCTIO III.

De Quarto, & Quinto Præcepto Ecclesiæ;

Sive
De Annua Confessione, & Communione Paschali,

QUÆSTIO I.

Quid sit, & quo jure, ac quando obliget Confessio
Sacramentalis?

1. Quartum Ecclesiæ Præceptum sequentibus verbis com-
prehenditur: *Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis con-*
fiteor. De quo in Concilio Generali Lateranensi, sub
Innocentio III. celebrato, & refertur c. *Omnis utriusque sexus, de Pæ-*
nitentijs & remissionibus; sic statutum habetur: *Omnis utriusque sexus*
Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata sala-
tem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi
pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere. Quod Præceptum Ec-
clesiasticum ut clarius intelligatur, nonnulla præmittenda viden-
tur: hinc sic

2. CONCL. I. Confessio Sacramentalis est accusatio legitima
de proprijs peccatis, tacta coram Sacerdote, ad eorum ve-
nitiam impetrandam virtute Clavium. Ita in re communis. Et
quidem *ly*, *accusatio*; ita loco generis; reliqua ponuntur loco
differentiæ. Porro per *ly*, *ad eorum veniam impetrandam virtute*
Clavium, denotatur finis, ob quem fieri debet Confessio Sacra-
mental, qui est consecutio veniæ, ac remissio peccatorum ob-
tinenda.

Vppp 2

tinenda

tinenda virtute Clavium ; id est, virtute Sacramentalis absolutionis, à Sacerdote legitimam jurisdictionem habente super confitentem prolatæ. Juxta quod Christus *Joan. cap. 20.* dixit Apostolis, eorumque legitimis Successoribus : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ea Jure Divino necessaria est omnibus peccatum mortale committentibus post Baptismum.

3. CONCL. II. Confessio Sacramentalis est à Christo Domino instituta, & omnibus conscientiam peccati mortalis post Baptismum commissi habentibus Jure Divino necessaria. Ita omnes Catholici, estq; novissimè definitum in Concilio Trident. *Sess. 14. can. 6. ibi : Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino ; aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.* Et cit. *Sess. 14. cap. 5.* sic habetur : *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.*

Probatur hoc alteriùs.

4. Eadem Catholica Veritas præter continuam traditionem, atque perpetuum sensum Ecclesiæ, desumitur ex citatis verbis Christi, *Joan. 20. Quorum remiseritis peccata.* Siquidem, ut argumentatur Doctor Subtilis *4. dist. 17. q. un.* & declarat Concilium Trident. *cit. cap. 5.* per dicta verba Christus constituit Apostolos, eorumque successores Sacerdotes, suos Vicarios, tanquam Judices habentes potestatem remittendi, & retinendi peccata, in quæ Christi Fideles ceciderint. Patet autem, Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ exercere non posse, neque servare æquitatem in imponendis pœnis pro ipsis peccatis, si in genere duntaxat, & non etiam in specie, ac singillatim oporteret pœnitentes sua peccata confiteri.

Præceptum Confessionis non statim obligat post peccatum mortale.

5. CONCL. III. Dictum præceptum Confessionis Sacramentalis non statim obligat, cum quis in peccatum mortale lapsus est. Ita communis, intelligendo tamen hoc salvis iis, quæ in sequentibus Conclusionibus dicentur. Ratio est : quia præceptum Confessionis est affirmativum, quod obligat non pro semper, sed solum pro determinato tempore.

quid, si subsit periculum oblivionis peccatorum ?

6. Neque obstat, quòd nisi quis illicò confiteatur, incidat in periculum obliviscendi peccatorum commissorum. Resp. enim cum Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 4.* & alijs, adhuc ejusmodi peccatori oblivioso non incumbere obligationem illicò

cò confitendi, vel peccata sua scriptis annotandi; cum nullo jure id expressum reperitur. Quinimò non tenemur confiteri nisi ea peccata, quorum post diligentem discussionem habemus conscientiam, ut facetur Concilium Trid. Sess. 14. cap. 5. & can. 7. Quo facto, licet quorundam habeatur inculpata oblivio, adhuc eadem virtute Sacramenti remittuntur saltem indirectè.

7. Interim tamen consultissimum est, omnibusque vel maxime suadendum, post admissum peccatum mortale quàm citissime per veram Contritionem ad Deum converti, imò etiam data opportunitate ad Sacramentum Pœnitentiæ per dolorosam peccati Confessionem properare. Idque tum ad citius consequendam gratiam, atque amicitiam Divinam, evitandumque periculum damnationis æternæ: tum ut opera nostra bona (quæ, si fiant in statu peccati mortalis, sunt mortua, (a) neque meritoria augmenti gratiæ, & gloriæ cælestis) hac ratione coram Deo meritoria evadant.

Consultissimum est illi, cò post Peccatum agere pœnitentiæ; cur? (a) Ut dicitur Tract. 1. Dist. 2. n. 46.

8. Accedit alia ratio: quia moraliter loquendo, & regulariter, nemo constitutus in peccato mortali diu observat totam legem, ac evitat novum peccatum mortale; nam, ut dicitur Psalm. 41. *Abyssus abyssum invocat.* Et S. Gregorius lib. 1. Homil. 11. in *Exchielem*, ait: *Peccatum, quod per pœnitentiæ non deletur, mox suo pondere in aliud trahit.*

Peccator nò diu moraliter evitat novum peccatum.

9. CONCL. IV. Dictum præceptum Divinum de facienda Confessione Sacramentali vel maxime obligat in articulo mortis, nec non & in probabili periculo ipsius. Ita communis Ratio est: quia non est assignabile aliud tempus, in quo hoc præceptum Divinum potius obliget, quàm in mortis articulo, à quo pendet tota æternitas. Accedit: quia, si tunc hoc præceptum non adimpleatur, id amplius secutà morte adimpleri non poterit.

Præceptum Confessionis obligat in mortis articulo, vel periculo.

10. Et conformiter dictis inferunt Doctores, quòd non solum in infirmitate lethali teneatur quis ad Confessionem Sacramentalem, sed etiam in quolibet probabili periculo mortis; id est, tunc, quando quis aggreditur actus arduos, in quibus verisimile est, quòd mors imminet: ut in bello mortali, in naufragio, & hujusmodi, prout exemplificat Scotus cit. dist. 17. § de secundo. His addunt Summittæ foeminas primò parturientes, & quæ aliàs maximam in partu difficultatem expertæ sunt: siquidem de hujusmodi probabili periculo mortis æquè militant rationes proximè allatæ. Et per hoc patet altera pars Conclusionis.

Corollaria.



Jure Divino
obligat
quam quan-
dum extra
mortalis arti-
culum.

11. CONCL. V. Etiam quandoque per vitæ decursum, atque extra articulum mortis, præceptum Divinum Confessionis Sacramentalis obligat omnes fideles, conscientiam peccati mortalis habentes: quod præceptum ut à Populo Christiano generalius observaretur, optimè Ecclesia in Concilio Lateranensi (num. 7. relato) præcepit, ut Fideles singulis annis saltem semel confiteantur. Ita præter communem Theologorum, docet Concilium Trident. Sess. 14. cap. 5. Ubi refellens inanem eorum calumniam, qui Confessionem à Divino mandato alienam, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verebantur, loquitur in hæc verba: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure Divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.*

Hinc merito
Ecclesia
præcepit
Confessionem
annuam.

12. Ex quo clarè sequitur, quòd Ecclesia semper intellexerit, præceptum Confessionis quandoque extra mortis periculum obligare Jure Divino: quamvis, cum tempus illud non fuerit determinatum à Christo Domino, Ecclesia piè salubriterque, atque cum ingenti animarum fructu statuerit, ut præceptum illud ab omnibus Fidelibus impleatur singulis saltem annis; sicque tempus implendi præceptum istud Divinum determinavit.

QUÆSTIO II.

Quomodo Præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis obliget?

Præceptum
annuæ Con-
fessionis,
quos obli-
get?

13. CONCL. I. Præceptum Ecclesiasticum annuæ Confessionis obligat omnes fideles conscientiam peccati mortalis habentes, eosque solos. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia Ecclesia non præcipit Confessionem peccatorum duntaxat venialium. Tum quia hæc multis alijs remedijs expiari possunt, ut fatetur Concilium Trident. Sess. 14. cap. 5. Tum quia præceptum istud Ecclesiasticum, est determinatio præcepti Divini: atque hoc est de peccatis duntaxat mortalibus; ergo & illud.

Quid agen-
dum h. ben-
trifolia ve-
nialia?

14. Notant tamen Doctores, ex consuetudine Ecclesiarum, atque ad averendum scandalum, receptum esse, ut fideles omnes ante Communionem Paschalem Sacerdoti proprio se fiant,

stant, & si moraliter nunquam se peccasse asseverent, super ea re Confessarij iudicio sese subijciant. Quinimò in praxi utilissimum erit, etiam sola venialia tunc confiteri, propter uberes ex Sacramento Pœnitentiæ fructus provenientes.

15. CONCL. II. Quamvis ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico sufficiat semel in anno confiteri, nihilominus isthæc Confessio communiter fit in Paschate, etiam sufficiet semel in anno confite-
Confessio communiter fit in Paschate, etiam sufficiet semel in anno confite-
Paschali præmitti solet. Ita communior, & probabilior Doctorum, nonnullis exceptis, qui volunt, præceptum Confessionis per se obligare in Paschate, & non tantum per accidens ratione Communionis Paschalis. Prior pars desumitur ex Concilio Lateranensi c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & remiss. (b) ubi plus non requiritur, quam ut omnis fidelis omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur: quæ verba, nisi quis vim inferat, intelliguntur de toto tempore à principio usque ad finem anni, prout argumentatur Lugo disput. 15, de Sacram. Pœnitent. sect. 8, n. 157.

16. Nec obstat communis consuetudo confitendi in Paschate, & quòd tunc in plerisque locis soleat exigi testimonium Confessionis Paschalis; simulque, quòd in Extrav. Vicesimus, de Treuga & pace, dicatur: De jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti. Resp. enim, hoc totum fieri per accidens, & ratione Communionis Paschalis; sive, quia tunc urget præceptum sumendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cujus dignæ perceptioni, habitâ copiâ Confessarij, præmittenda est Confessio Sacramentalis, nec sufficit sola contritio de commisso peccato mortali; prout declaravit Concilium Trident. Sess. 13, cap. 7, & amplius suo loco (c) dicetur. Et per hoc patet altera pars Conclusionis.

17. Infertur proinde, quòd si quis sive culpabiliter, sive ob legitimum impedimentum, in Paschate non est confessus, is postmodum per anni decursum confiteri teneatur: quia toto anno urget hoc præceptum, neque illud est affixum Tempori Paschali, ita ut cum illo transeat, sicut transit obligatio audiendi Missam die Festo.

18. Infertur secundò, quòd is, qui Tempore Paschali confessus est sola venialia, teneatur adhuc confiteri mortale tunc invincibiliter omissum. Quin etiam observat Lugo loc. cit. n. 162, quòd si quis per totum annum frequenter confiteatur sola venialia, quæ habet, & circa finem anni peccet mortaliter, oblige-
tur

Confessio communiter fit in Paschate, etiam sufficiet semel in anno confite-

Solvitur instantia.

(c) Tract. 14. Dist. 2.

Quaest. 3. Concl. 3.

In Paschate non confessus tenetur confiteri per annum.

Quid de eò confesso sola venialia, si postea peccet mortaliter?

tur hoc præcepto ad confitendum eodem adhuc anno illud peccatum mortale. Siquidem Ecclesia præcepit duntaxat Confessionem mortaliū semel in anno peragenda, qualem in casu quis nedum fecisse supponitur.

Annus quo modo sit computandus?

19. Quæres autem, quomodo annus iste sit computandus? Resp. duos dicendi modos cæteris esse probabiliores. Primus est eorum Theologorum, qui putant, annum esse computandum à die primo Januarij, & deinceps usque ad initium sequentis anni; cum isto die communiter censeatur novus annus incipere, & prior desinere. Secundus dicendi modus est illorum, qui asserunt, annum computandum esse à Paschate in Pascha, intelligendo per Pascha omnes illos dies, in quibus potest impleri præceptum Communionis Paschalis. Et huic computationi consonat praxis, atque communior sensus Fidelium, arbitrantium, se dicto præcepto Ecclesiastico satisfecisse, postquam Paschali Tempore confessi sunt: quamvis etiam pro tunc, juxta computum prioris sententiæ, semel in anno confessi intelligantur. Unde patet, quod præsens quæstio in praxi parum urgeat.

Præcepto Ecclesiastico non satisfecit per Confessionem scienter invalidam.

20. CONCL. III. Præcepto Ecclesiastico annuæ Confessionis non satisfecit per Confessionem sacrilegam, & scienter invalidam. Ita nunc pro certo tenendum: nam oppositam quorundam sententiam rejecit Alexander VII. dum sequentem inter alias Propositionem, ordine 14. condemnavit: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfecit præcepto Ecclesiæ.* Accedit ratio. Tum quia, qui voluntariè facit Confessionem invalidam, reverà non recipit Sacramentum Pœnitentiæ; cum ad hoc necessariò requiratur vera, integra, & dolorosa Confessio. Tum quia Christus, & Ecclesia, præceptam Confessionem, quæ conducibilis est ad consequendam remissionem peccatorum virtute Sacramenti Pœnitentiæ: atqui talis non est Confessio voluntariè nulla & sacrilega; ergo.

Pueri quando teneantur ad Confessionem?

21. Quæres, quandonam teneantur Pueri ad Confessionem annuam? Resp. Eosteneri, postquam ad annos discretionis pervenerunt, semelque in peccatum mortale lapsi sunt. Ratio est clara: quia nullum est præceptum, ne quidem Ecclesiasticum, confitendi sola venialia.

Circa pueros in praxi quid observandum?

22. Interim tamen, cum parentibus, vel præceptoribus, de primo peccato mortali puerorum constare nequeat, omninò consultum est, atque in praxi necessarium, ipsos tempestivè de-

ne-

necessarijs ad Confessionem requisitis instruere, atque post alle-
cutos annos discretionis ad Confessionem mittere, ut eidem
paulatim assuescant, atque (si opus fuerit) præcepto Ecclesia-
stico satisfaciant.

23. Confessarius autem, utrum huiusmodi Pueri, vel Puellæ
sint capaces absolutionis, dijudicare debet; non quidem ex so-
la ætate, num videlicet septennium impleverint (quamvis post
illam ætatem de usu rationis præsumptio esse soleat, arg. c. Litteras.
de Desponsat. impub.) sed multò magis ex ingenij, atque educatio-
nis qualitate: multi enim post eam ætatem primùm, aliqui verò
citius consequuntur sufficientem usum rationis, ut non solum pec-
cati venialis, sed etiam mortalis capaces existant.

24. Insuper, postquam Confessarius circumstantijs confide-
ratis judicavit, Puerum verè ac deliberatè peccasse, sive mortali-
ter, sive saltem venialiter, considerare debet, utrum ille de pec-
cato doleat; & quidem ex motivo non merè humano, utputà
quia à patre castigatus fuit, sed ex motivo supernaturali per Fi-
dem cognito, videlicet propter offensam Dei, metum pœnæ æ-
ternæ, aut Purgatorij, vel turpitudinem peccati. Sunt enim ali-
qui adeò naturà vagi, ut licèt satis dispositi fuerint ad peccatum,
non tamen dispositi sint ad dolorem supernaturalem eliciendum:
qui proinde vel prius per Confessarium disponendi sunt, vel si id
tam citò fieri nequeat, eisdem, dummodò necdum mortaliter
peccaverint, oratio quasi loco pœnitentiæ imponatur, & benedi-
ctio (nondum verò absolutio) Cruce super eos formatà imper-
tiatur. Quòd si verò omnibus consideratis adhuc dubium re-
maneat de Pueri capatitate, tunc absolutio dari poterit sub condi-
tione, *Si es capax, ego te absolvo* &c. Imò talis in mortis articulo sic
absolvi debet. Layman lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 7. & alij.

QUÆSTIO III.

An, & quæ sit obligatio Juris tum Divini, tum Ecclesia-
stici, sumendi Eucharistiam?

25. Quintum Ecclesiæ præceptum hisce verbis exprimi so-
let: *Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno,*
idque circa Festum Pasche sumito. Et hoc præceptum
Quintum Ecclesiæ præceptum, quod?
Ec-
Qggg

Ecclesiasticum habetur in Concilio Generali Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato, atque refertur *cit. c. Omnis utriusque sexus. de Penit. & remiss.* ibi: *Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Evcharistia Sacramentum; nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesie arceatur, & moriens Christiana careat sepulturâ.* Hæc ibi: Quod ut melius intelligatur, præmittendo nonnulla de præcepto Juris Divini, sit

Jure Divino tenentur Fideles sumere SS. Evcharistiam, & quidem sæpius.

26. CONCL. I. Extat præceptum Divinum, obligans omnes Fideles adultos, sumendi SS. Evcharistiam, non tantum in articulo mortis per modum Viatici, sed etiam ante illud periculum, & quidem sæpius in vita. Ita communis; atque desumitur ex verbis Christi, Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, cum concordantijs.* Accedit ratio: quia Evcharistia Sacramentum à Christo Domino institutum fuit per modum alimenti spiritualis; ergo non minus, atque alimentum corporale, sæpius in vita sumendum est ad reficiendas vires animæ.

Tempus huius obligationis determinavit Ecclesia, præcipiendo Communionem Paschalem.

27. CONCL. II. Præceptum Divinum sæpius per vitæ decursum per se obliget fideles adultos ad sumendam SS. Evcharistiam, nihilominus ejusmodi tempora non possunt generatim determinari, sed definienda sunt prudenti judicio, ita tamen, ut Sacra Communio non nimium differatur: unde, ut huic præcepto Divino generalius, atque majori cum fructu animarum satisfiat, Sancta Mater Ecclesia piè admodum præcepit, ut Fideles post annos discretionis ad minus in Paschate Sacramentum Evcharistia reverenter suscipiant. Ita communis; & patet ex Concilio Lateranensi n. 25. allegato.

Huic præcepto non satisfit per Communionem sacrilegam.

28. CONCL. III. Huic præcepto Ecclesiastico Communionis Paschalis non satisfit per indignam huius Sanctissimi Sacramenti susceptionem. Ita defactò indubitanter tenendum, quidquid nonnulli olim in contrarium scripserint. Siquidem novissimè Innocentius XI. sequentem inter alias Propositionem, ordine 55. damnavit: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Et meritò: quia Ecclesia in citato Concilio Generali præcepit, ut Fideles suscipiant *reverenter* in Paschate Evcharistia Sacramentum: atqui hoc non fit per sacrilegam

(d) Tract. 2. Dist. 1. n. 48. & seqq. locò (d) jam dictum.

29. Et hinc indignè communicans in Paschate, non solum peccat gravissimè contra praeceptum Divinum, sacrilegè istud SS Sacramentum sumendo; sed etiam contra praeceptum Ecclesiasticum, non reverenter suscipiendo Communionem Paschalem, ac proinde tenetur iterum, & dignè communicare.

30. CONCL. IV. Ad recipiendum dignè Sacramentum Eucharistiae, extra mortis articulum, Jure Ecclesiastico requiritur, ut quis à media nocte illius diei sit jejunus jejunio naturali. Ita communis; & habetur c. *Sacramenta, de consec. dist. 1. & c. Nihil, 79.1. cum concordantijs.*

31. Porrò in praxi, quantum ad propositum, benè notanda sunt verba Rubricarum Missalis Romani, Tit. 9. *De defectibus dispositionis corporis, ita statuentium: Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinae, & in quantumcunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.*

32. Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum sumpserit, etiam si postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

33. Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem; cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquae praeter intentionem. Haec tenus Rubricae.

34. CONCL. V. Nihilominus in articulo mortis, cum tunc urgeat vel maximè praeceptum Divinum sumendi Eucharistiam, potest etiam non jejunus hoc SS. Sacramentum porrigi per modum Viatici. Ita communis Doctorum, extendens hoc pariter ad probabile periculum mortis; & constat ex praxi, & consuetudine Ecclesiae.

35. Addunt Doctores, quòd qui in eiusmodi articulo mortis Sacram Synaxin recepit perseverante morbo, atque eodem periculo, possit iterum atque saepius communicari per modum Viatici: quia moriturus valdè indiget hoc alimento animae ad vincendas tentationes tunc temporis magis occurrentes, & superanda pericula peccandi.

36. Num autem moribundus, qui manè communicaverat, debeat, vel possit eodem adhuc die sumere Eucharistiam per modum Viatici, variant Doctores; prout videre est apud Gobat tract. 4. *Theolog. Experim. num. 174. & seqq.* Qui postmodum

Corollarium.
Ad S. Communionem requiritur jejunium naturale.

Istud jejunium declaratur per Rubricas Missalis.
I.
II.
III.

In articulo mortis potest sumi Eucharistia à non jejunus.

Et saepius per modum Viatici.
An qui manè communicavit, teneatur.



zur, vel pos- dum rectè negat, existentem in tali casu obligari ad denuò com-
 sit commu- municandum eodem die. Deinde asserit, probabilius esse, quòd ne
 nicari per quidem liceat: etsi nihilominus probabile sit, quòd liceat.
 modum
 Viatici.

Q U Æ S T I O I V.

Varia Quæsitæ circa sumptionem Sacramenti
 Eucharistiæ solvuntur.

An, qui
 Commu-
 nionem Pa-
 schalem non
 peregit, te-
 neatur eam
 compen-
 sare?

37. **O**uæritur I. An, qui Communionem Paschalem culpa-
 biliter, vel iusto impedimento detentus non peregit,
 teneatur eandem proximè compensare? Ratio dubi-
 tandi desumitur ex Concilio Lateranensi, &c. *Omnis utriusque*
sexus n. 25, relato, ubi præcipitur *suscipi Eucharistiæ Sacramentum*
in Pascha: ac proinde videtur hoc præceptum esse affixum ipsi
 Tempori Paschali, non minùs, ac præcepta Feitorum, Jejunio-
 rum, atque Horarum Canoniarum, sunt affixa certis diebus;
 ergo sicuti hæc illis diebus culpabiliter, vel inculpabiliter omis-
 sa, non necessariò compensanda sunt alijs diebus, ita & de præ-
 cepto Ecclesiastico Communionis Paschalis videtur dicendum.
 Et ita sentiunt non pauci Doctores, uti videre est apud Lugo-
 nem *disput. 16. de Eucharistia, sect. 4.* Aliqui verò distinguunt
 inter Communionem Paschalem culpabiliter omisam, vel in-
 culpabiliter; & hanc quidem compensandam censent, non
 illam.

Sententia
 affirmativa
 est proba-
 bilior.

38. Verùm affirmativa sententia, asserens indistinctè,
 Communionem Paschalem postmodum eo anno compensan-
 dam esse, communior & probabilior est, quam tenet Lugo *loc.*
cit. Maltrius disput. 12. Theol. Mor. n. 54. Sannig dist. 4. de Eucha-
ristia, quest. 31. n. 15. Layman, Gobat, Sylvester, & alij. Ratio
 est: quia hoc præceptum non est præcisè affixum Tempori
 Paschali, sicuti præceptum jejunandi, vel audiendi Missam tali
 diei. Siquidem præceptum Communionis Paschalis non est
 simpliciter unum (prout fit in alijs allatis) sed continet virtua-
 liter duo præcepta; unum Communionis, saltem semel in an-
 no peragenda, ut satisfiat præcepto Divino sumendi Eucharis-
 tiam; alterum communicandi in Paschate, ob venerationem
 hujus Solemnitatis; ergo, quamvis expiret hoc præceptum
 quoad secundum lapsu Temporis Paschalis, non tamen quoad
 primum. Et per hoc patet ad rationem dubitandi *num. præc.*
 allatam.

39. Quæ;

39. Quæritur II. Ubinam Communio Paschalis sit peragenda? Resp. Eam peragenda in propria Ecclesia Parochia; nisi adsit expressus, vel tacitus, aut saltem rationabiliter præsumptus consensus proprii Parochi, vel ejus Superioris, ad alibi communicandum. Ita Herincx *disp. 6. n. 39. de Eucharistia*. Rodriguez, & alij; idque desumitur ex *cit. c. Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & remiss.* junctâ communi praxi Ecclesiæ, & consensu Doctorum. Unde sine ejusmodi licentia alibi communicans, juxta Bonacinam *disput. 4. de Sacramentis, q. 7. punct. 2. num. 7.* Palaum, & alios, non satisfacit præcepto. Verùm rigor ille procedit, quando ne quidem tacitus, aut saltem rationabiliter præsumptus consensus proprii Parochi, vel ejus Superioris adest: nam quando talis personæ qualitas, tempus, vel aliæ causæ concurrunt, ut arbitrio prudentis viri credatur fore contentus Parochus, si quis alibi communicet, satisfiet præcepto Ecclesiastico; nec erit peccatum mortale, recipere Eucharistiam extra propriam Parochiam; quia tunc non ministraretur sine jurisdictione, cum adesset saltem tacita proprii Parochi licentia. Bassæus *in Supplemento, §. Communio, n. 3.*

40. Excipiuntur etiam Peregrini, Viatores, Vagi, & illi, qui extra propriam Parochiam tunc existentes, ad ipsam commodè accedere nequeunt: nam tales possunt Tempore Paschali in Parochia, in qua degunt, Eucharistiam sumere, imò & in Ecclesijs Regularium. Bassæus *§. Communio sacra, num. 11.* & alij. Idem communiter tenent Doctores de servis Religiosorum, qui degunt in Monasterijs, vel alijs locis à cura Parochorum exemptis.

41. Insuper Sacerdotes satisfaciunt integrè præcepto Ecclesiæ, ubicunque tandem celebrent Tempore Paschali: secus, si communicent more Laicorum. Disparitas est: quia præceptum sumendi Sacram Synaxin in propria Parochia, ex recepta consuetudine extenditur ad eos, qui Eucharistiam ab alio sumunt, volendo, ut Oves à Pastore proprio pascantur: non verò ad illos, qui celebrando seipfos communicant. Bonacina *cit. disp. 4. q. 7. punct. 2. n. 7.* Gobat *loc. cit. n. 74.* & alij.

42. Quæritur III. An, & quando Pueri teneantur præcepto Communionis Paschalis? Resp. I. Certum est, parvulos usus rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad Sacramentalem Communionem. Ita declarat Concilium Trident. *Sess. 21. cap. 4.* benè subjungens: *Neque ideò ramentum damnanda est Antiquitas, si eum*

morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ratio est. Tum quia parvuli sunt incapaces præcepti. Tum quia ipsi non norunt debitam cum reverentiâ hoc Sanctissimum Sacramentum suscipere: qua de causa mos ille Antiquitatis ministrandi parvulis Evcharistiam, postmodum auctoritate Ecclesie sublatus fuit.

Quando obligentur pueri ad Communionem Paschalem?

Praxis circa hoc.

Mutis & surdis à natiuitate, quæ Sacramenta possint ministrari?

An etiam Sacramentum Evcharistie?

43. Resp. II. Tunc Pueri obligantur præcepto Ecclesiastico Communionis Paschalis, quando ad annos discretionis pervenerunt; prout loquitur Concilium Lateranense num. 25. relatum. Cæterum, quando censendus sit puer attigisse annos discretionis, ex actionibus rationalibus ipsius, cæterisque circumstantiis, prudenti iudicio parentum, & vel maxime Confessariorum, discernendum est; cum alij citius, alij tardius sufficientem rationis usum, & spiritualium rerum intelligentiam adquirentur. Praxis autem obtinuit, ut octennes & novennes non compellantur ad Sacram Synaxin; atque insuper Gobat tract. 4. Theolog. Experim. n. 88. post Suarez, & alios, notat, posse differri Communionem Paschalem in unum alterumve annum, postquam puer est satis intelligens rerum ad illam ritè obeundam spectantium.

44. Quæritur IV. Utrum mutis & surdis à natiuitate sit porrigendum Evcharistie Sacramentum, non minus, ac alia Sacramenta? Et additur. non minus, ac alia Sacramenta. Nam certum est, posse ejusmodi furdo & muto, si cæteroquin non appareat indispositus, ministrari Sacramentum Baptismi & Confirmationes, atque in articulo mortis extremam Unctionem. Deinde potest ipsi ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, dummodò is, in quantum valet, signis ac nutibus peccata sua confiteatur: nam in casu tantæ impotentie sufficere Confessionem per signa & nutus, passim fatentur Doctores. Insuper cum ad Matrimonium contrahendum non requirantur certa verba, sed sufficiat solus consensus contrahentium exterius expressus, potest mutus & surdus, si velit, atque inveniatur aliquam volentem, Matrimonium contrahere: Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare, ut habetur c. Cum apud. de Sponsal. Sanchez lib. 1. de Matrimon. disp. 8. n. 12. & alij. Verum de Sacramento Evcharistie loquendo,

45. Resp. Potest ejusmodi furdo & muto etiam ministrari Sacramentum Evcharistie, præsertim tempore Paschali, atque in articulo mortis; dummodò aliunde non appareat indispositus. Ita Abbas Panormitanus in c. Cum apud. de Sponsalibus, Layman lib. 3. tract. 4. cap. 4. n. 5. & alij. Quinimò, si discretio rationalium

lium sit maturior & perfectior, posse ipsis SS. Eucharistiam sapius ministrari, utputà in Festis solemnioribus, cenfer Herincx *cit. disp. 6. quaest. 2. num. 16.* Ratio est: quia tales muti & surdi ita quandoque sunt perspicacis & acuti ingenij, ut multa explicatu difficilia ex signis & nutibus facillè percipiant, & vicissim manifestent; ergo visâ aliorum Fidelium ad Sacram Synaxin accedentium devorione, facillè distinguere valent Cibum istum Angelicum à profano, accedente simul interiori illustratione Spiritûs sancti: & consequenter, stantibus præmissis, poterit ipsis, utpote viatoribus, ministrari *Panis Angelorum, Factus Cibus Viatorum.*

46. Porrò quæ hætenus dicta sunt de mutis & surdis, longè magis locum habent in Energumenis (hoc est, à dæmone oblectis) epilepticis, & alijs infirmis: qui proinde non solum in Paschate, ac mortis articulo, verùm & alijs temporibus ritè communicantur; dummodò Sacram Eucharistiam absque irreverentia sumere possint, & cæteroquin indispositi non appareant.

Energumenis, & epilepticis, an possit Eucharistia ministrari?

47. Quæritur V. Quænam sint pœnæ non communicantium in Paschate? Resp. Tales & vivi ingressu Ecclesiæ arcendi sunt, & mortui Ecclesiasticâ Sepulturâ privandi. Ita enim statuitur in Concilio Lateranensi, & c. *Omnis utriusque sexûs. de Tænit. & remiss. num. 25.* relato: quamvis hæ pœnæ non ipso jure incurrantur, sed primùm per sententiam Judicis infligendæ sint; prout colligitur ex contextu illorum verborum, & tenet communis.

Quæ sint pœnæ non communicantium in Paschate?

48. Quæritur VI. An aliquando licitè possit differri Sacra Communio ultra tempus Paschale? Resp. Id fieri posse ob aliquam rationabilem causam, atque accedente consilio proprii Sacerdotis; prout patet ex verbis Concilij Lateranensis, *cit. num. 25.* relatis. Cæterùm per proprium Sacerdotem, de cujus consilio possit differri Communio Paschalis, non solum intelligitur proprius Parochus, aut ejus Superior, sed etiam Confessarius, qui eo tempore Confessionem pœnitentis excipere potest: cenferur enim ad hoc à proprijs animarum Pastoribus eo ipso delegatus, quòd potestatem acceperit Confessiones excipiendi. Herincx *loc. cit. n. 38.*

An aliquando possit differri Communio ultra tempus Paschale?

49. Et conformiter dictis responderi poterit ad illud dubium, an prævidens sibi futurum impedimentum communicandi Tempore Paschali, teneatur prævenire, & priùs communicare?

quid, si quis prævideat impedimentum

communi-
candi tem-
pore Pa-
schali ?

re ? Etsi enim quoad hoc sint diversæ Doctorum sententiæ, quorundam aliqui negant, alij verò affirmant, adesse talem obligationem præveniendi ; nihilominus dicendum, quod tunc de licentia proprii Sacerdotis differenda sit Communio ultra tempus Paschale, juxta cit. Concilium Lateranense. Nisi fortè prævideatur impedimentum duraturum per totum annum ; tunc enim oportebit prævenire. Lugo cit. disp. 16. n. 74. & seqq.

Q U Æ S T I O V.

Quid sit sentiendum de Communione frequenti, & quotidiana ?

Communio 50.
quotidiana
nullo Jure
præcepta
est.

CONCL. I. Communio quotidiana nullo Jure Divino, aut Ecclesiastico, præcepta existit. Ita communis ; idque novissimè declaravit Decretum S. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, circa Communionem Quotidianam, 1679. die 12. Februarij editum, quod incipit, *Cum ad aures*, estque approbatum ab Innocentio Papa XI. Ratio est : quia juxta c. *Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & remiss.* defacto sufficit communicare saltem in Paschate ; non obstante, quod olim Laici tribus saltem temporibus in anno, nempe in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, communicare debuerint, arg. c. *Etsi non frequentius. & c. Seculares. de consecr. dist. 2.*

Solvitur in-
stantia.

51. Nec obstat illud S. Anacleti Papæ, c. *Peracta. de consecr. dist. 2.* *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.* Resp. enim cum Glossa ibidem, hoc intelligendum esse de Sacerdotibus, qui conficiunt seu consecrant, idque patet tum ex Summario ibidem, tum ex sequentibus Capitulis. Porrò loquendo de cæteris, non adesse talem obligationem, clarè defumitur ex Concilio Trident. *Sess. 22. cap. 6.* ubi nihil præcipiens, sed quasi humanam infirmitatem secum repuraret, quid cuperet tantum indicans, inquit : *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles astantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistia perceptione communicarent, quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificij fructus uberius proveniret.*

Frequens, &
quotidiana
Communio
per se lo-

52. CONCL. II. Frequens, quin & quotidiana Communio, per se loquendo, & quantum est ex parte hujus Sanctissimi Sacramenti, utilissima est, atque à Sanctis Patribus semper com-
men-

mendata. Hinc S. Ambrosius lib 5. de Sacramentis, cap. 4. ac quando
refertur can. Non iste, de consecr. dist. 2. sic loquitur: Iste panis commenu-
quotidianus est: accipe quotidie, quod quotidie tibi proficit. Sic vive, ut datur.

quotidie merearis accipere, cum concordantijs. Unde Concilium
Tident. Sess. 13. cap. 8. Fideles exhortatur ad frequentem Com-
munionem, & eam Fidei constantiam, animique devotionem
ac pietatem, ut Panem illum substantialiorem frequenter suscipere
possint.

53. Dicitur, per se loquendo. Nam per accidens, & spectatis
diversis vitæ hujus impedimentis, ac distractionibus (ut tacea-
tur remorsus peccati gravioris) communiùs fieri solet, quòd
Laici sæculares ad Sacram Communionem eam, qua par est, re-
verentiã, & animæ suæ fructu, quotidie sumendam, minùs vi-
deantur dispositi. Proinde in hoc sensu S. Augustinus, relatus
can. Quotidie, de consecr. dist. 2. sic ait: Quotidie Eucharistia Commu-
nionem percipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis
diebus communicandum suadeo, & exhortor: si tamen mens sine peccandi
affectu sit. Quid spec-
tatis varijs
hujus vitæ
impedi-
mentis?

54. CONCL. III. Quod ad Sæculares negotiatores attinet, An ea Laicis
frequens ad Sacram Alimoniam accessus, Confessoriorum, se-
creta cordis explorantium, iudicio relinquendus est. qui ex con-
scientiarum puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem pro-
cessu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospicient eo-
rum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt: quamvis
Conjugati serio admonendi sint, ob Sacratissimam Eucharistia
reverentiam ampliùs continentia vacandum, puriorique men-
te ad Cælestium Epularum Communionem esse convenien-
dum. Ita citatum Decretum Sacrae Congregationis. Ubi idcir-
co subjungitur, quòd Pastoribus incumbat. non aliquos à fre-
quenti, aut quotidiana Sacrae Communionis perceptione deter-
rere, vel accedentes repellere; sed operam dare, ut unusquisque
dignè pro devotionis, & præparationis modò, rariùs aut cre-
briùs Dominici Corporis suaviter degustet: & quòd Episco-
pi, in quorum Diocesis viget hujusmodi devotio erga San-
ctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agere, eamque
adhibito prudentia temperamento, sublatam tamen omnis irre-
verentia, & scandali suspitione, alere debeant. negotiatori-
bus, & con-
jugatis per-
mittenda?

55. CONCL. IV. Moniales, quotidie Sacram Communionem
petentes, admonenda erunt, ut in diebus ex earum Ordinis
Instituto præscriptis communicent: si quæ verò puritate men-
tis Quid obse-
vandum
circa Mo-
niales?

tis eniteant, & fervore spiritûs ita incaluerint, ut dignæ frequentiori & quotidianâ Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Ita verbatim citatum Decretum: quod tum alibi, tum apud Jo. Cardenas in *Crisi Theologica ad Propositiones ab Innocentio XI. damnatas*, circa finem legi poterit.

Frequens
Confessio,
& Commu-
nio, an sit
nota præde-
stinacionis?

56. Pro coronide sciendum, quòd Innocentius XI. hanc inter alias, ordine 56. propositionem, *sicut jacet*, merito condemnaverit: *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.* Quamvis enim frequens Sacramentorum Confessionis, & Communionis, debitâ cum reverentiâ & devotione receptorum usus, rectè connumeretur inter notas Prædestinationis (id est, inter ea signa, ex quibus probabiliter sive conjecturaliter colligi valet, aliquem consecuturum esse æternam Beatitudinem) prout ostendit, atque pluribus SS. Patrum auctoritatibus firmat Hieremias Drexelius, *Signo 3. Zodiaci*; id tamen in gentiliter viventibus locum habere nequit. Quia tales, hoc ipso, quòd vivant gentiliter, accedunt indispositè, & Sacramenta illa recipiunt sacrilegè: atqui absurdissimum est dicere, frequentem sacrilegam Sacramentorum receptionem esse notam Prædestinationis; cum eò amplius Divina offendatur Majestas, quò frequentius ejusmodi reiterantur Sacrilegia.



TRACTATUS XI.

De Beneficijs Ecclesiasticis, Jure Patronatûs, & Decimis.

Præsens
materia, cur
hic tractetur?

I.
Præsentium materiarum Tractatus ex professo quidem ad Jus Canonicum spectare videtur, ubi sub proprijs Titulis tum de Ecclesiasticis Beneficijs, ac Jure patronatûs, tum de Decimis, uberius agi consuevit. Veruntamen quia circa præmissa plures occurrere solent materiæ practicæ, & Forum Conscientiæ respec-